Landesbibliothek Oldenburg

Digitalisierung von Drucken

Johannis Mulmanni, SS. Theol. dum viveret, Licent. ejusdemq[ue] Prof. Publ. ord. ad D. Nicolai Archi-Diac. & Alumnorum Electoralium Ephori, in Academia & Ecclesia Lipsiensi, Commentarius In Librum ...

Mülmann, Johann

Dresdæ, MDCCI

VD18 10367071

[Cap. I. Commentarius in Josuam]

urn:nbn:de:gbv:45:1-18377

Visual Library

Προλεγόμενα.

On tàm moris, quam facilioris cognitionis gratiâ præmitto historiæ Josuanæ explicationi προλεγομένων loco. I. Brevem ejus libri commendationem, petitam à causis cardinalibus, *efficiente*, *materiâ*, *formâ* & *fine*. Nam *tunc scire nos arbitremur, cum causas cognoverimus*, ut cum philosopho loquar. II. Quæ vitam & personam Josuæ spectant, subjiciam.

Ut igitur ab *efficiente*, quam in scholis *secundariam* appellamus, exordiar, videtur nonnullis haud constare certò, quisnam suâ manu hanc historiam conscripserit. Accepit quidem liber iste nomen sive titulum â Josua, sed nihil firmi exinde concludi videtur. Dicit enim Athanasius in S. Scripturæ synopsi: *Τά δὲ ἐντεῦθεν βιβλία μέχρι τοῦ Εσδρα, ὰ πάντα ἐκείνων εἰσὶ συγγραφαὶ, ὧν καὶ τὰς ἐπιγραφὰς φέρουσι, καὶ περὶ ὧν διαλαμβάνουσι. λόγῳ δὲ φέρεται παρὰ τῶν κατὰ τοὺς ἑκάστους καιροὺς προφητῶν συγγεγράφθαι αὐτά. Qui de hinc libri ad Esdram usque sequuntur, non omnino eorum sunt scripta, quorum inscriptiones præ se ferunt & de qui-*

bus

bus agunt: Sed sermo fert, ipsa à Prophetis conscripta esse, qui cujusque ætate vixissent.

Vult igitur Athanasius, hunc librum Josuæ scriptum esse non ab autore, sed ab objecto, propterea quod sit περιοχὴ historiæ, & rerum gestarum Josuæ. Attamen adduci possunt rationes non contemnendæ, cur ipsum Josuam pro scriptore ejus libri habendum esse censeamus.

I. Ratio sumitur â facultate: quia (ut legitur Deut. ult. v. 9.) repletus est Josuæ filius Nun Spiritu sapientiæ. Hic est ille spiritus, quo inspirati locuti sunt (sine scriptura, sine viva voce) sancti Dei viri. 2. Pet. I.

II. A Voluntate. Cum enim Moises jam jam ex hac vita emigraturus super Josuam manus suas posuisset, testificatus est eo symbolo, ipsum divinitus electum ac vocatum esse in gubernando, fideliterque docendo populo successorem. Quid autem obstare potuit, quo Josua minus vellet historias Ecclesiæ morte Mosis abruptas continuare & scribendo explere.

III. Ab expresso testimonio scripturæ. Nam cap. XXIV, 26. extant hæc verba: Scripsit quoque Josua omnia verba hæc in volumine legis Domini. Ubi vox דְּבָרִים non tantùm de legibus & præceptis populo propositis v. 25. intelligi potest: sed etiam de actis & rebus gestis accipitur Gen. XV, 1. & IV Reg. XII, 19. dicuntur Paralipomena LIBRI VERBORUM: imò inscribuntur Hebraicè דִּבְרֵי הַיָּמִים verba dierum, hoc est res diebus seu Regum temporibus gestæ. Neque quicquam pensi habeo, si quis objiciat, scriptorem rerum à se præclarè gestarum non posse ineptiarum nomen

men effugere, cum propria laus ſordeat, nec honos ſit ſed onus.

Nihil tale hic metuendum eſt. Nam qui Spiritu Sancto reguntur, ii non propriam laudem, ſed DEI gloriam quærunt æſtuanti ſtudio.

De *Efficiente* vero *primaria cauſa* hiſtoriæ Joſuanæ dubitandum eſt minimè. Nam conſtat, eam â ſummo veritatis Doctore Spiritu Sancto Joſuæ in mentem revocatam, & ut literis conſignaretur, ita inſpiratam eſſe, ut paulò poſt demonſtrabitur.

Materia ſive *objectum* hujus libri ſunt præclara & heroica Joſuæ facinora, belli ac pacis tempore edita; â morte Moiſis usque ad Judicum regimina per annos 32. Prioribus 7. annis deleti ſunt reges gentium: poſterioribus 25. annis facta eſt diviſio terræ. Ita longævæ illi promiſſioni ad Abrahamum factæ Gen. XII, 3. tandem ſatisfactum eſt cumulatiſſimè, cum Deus per Joſuam vi expelleret incolas Canaan, & in illorum ſedem ſurrogaret Judæos. Pertinet igitur hic liber in Rhetoricis ad genus dicendi ἐγκωμιαστικὸν vel Demonſtrativum, quia verſatur in commendatione pientiſſimi & invictiſſimi Imperatoris, cui verus Dei cultus ac ſalus populi ſummæ curæ ac cordi fuit.

DIVISIO TOTIUS LIBRI.

Lubet autem totum librum in tres partes dividere.

I. COntinet τὰ ἡγούμενα, quæ bella & expugnationes anteceſſerunt, cujusmodi eſt Joſuæ vocatio, tranſitus Jordanis miraculoſus, repetitio Circumci

ſionis & Paſchatis, ab initio usque ad caput ſextum.

II. Habet τὰ μέσα, quæ ſunt ipſa bella, ut expugnatio Hierichuntis & Ai, deletio incolarum, usque ad caput XIII.

III. Complectitur τὰ ἐσχάτα diſtributionem terræ, dimisſionem Trans-Jordaninorum, Sichemitica comitia, & obitum Joſuæ usque ad finem.

Ad *Formam* pertinet. I. Ordo vel Methodus ab autore obſervata: Hæc eſt hiſtorica ac naturalis: Sequitur enim autor in ſcribendo naturam rerum prout evenerunt, ſervatis ubique diligenter circumſtantiis.

II. Simplicitas, puritas & perſpicuitas verborum, quam Hebræa lingua ſibi vendicat præ omnibus linguis propriam. Hæ enim maximè verſari ſolent in expoliendis varieque torquendis nominibus & rebus fucandis: At veritatis ut ſimplex eſt oratio: Ita in Hebræa lingua proprium ac principem locum invenit, quæ tamen & ipſa ſuum habet, de quo glorietur, ornatum & elegantiam.

III. Autoritas libri Joſuæ, quæ eſt canonica & ſine omni dubitatione credenda. Hujus aſſertionis κριτήρια ſunt.

1. Antiquitas hujus libri, tempore & ordine voluminі Moſaico proximi.

2. Συνέχεια vel cohærentia cum libris Moiſis. Nam in his promittitur Judæis terra Canaan & poſt tot peregrinationum moleſtias fixa ſedes: Sed in libro Joſuæ promiſſionis illius fides re ipſa præſtatur. Ita fit, ut ſicut autoritatem librorum Moiſis hiſtoria Joſuæ per promisſionum complementum aſtruit: Ita hæc vicis-

vicisſim propter harmoniam & conſenſum rerum illis autoritate non ſit inferior.

3. Θαυματȣργία, Exhibitio miraculorum: Miracula præbent teſtimonium veritatis divinæ, cujusmodi ſunt ſiccus Jordanis tranſitus, murorum Hierichunticorum lapſus ἀυτόματος: Deletio hoſtium grandinoſa: curſus ſolaris & lunaris inhibitio diurna, & tot præclaræ victoriæ, non armorum vi acquiſitæ, ſed præſentis Numinis munificentia donatæ.

4. Eſt inprimis internum Spiritus Sancti teſtimonium, obſignantis corda noſtra, ut de divinis rectè judicemus 1.Cor.II,12.& ne vocem furis & latronis pro voce boni Paſtoris Chriſti audiamus. Joh.X,3.

5. Teſtimonium eſt Epiſtolæ Hebreæ: quæ meretricem Rahab in catalogum credentium refert cap. XI, 31. Huc:

6. accedit conſenſus orthodoxæ Eccleſiæ Vet. & N. T. quæ de auctoritate hiſtoriæ Joſuanæ Canonica nunquam dubitâſſe legitur. Conſveverunt enim Judæi ſcripturam Canonicam Vet. Teſtamenti diſtribuere in Legem, Prophetas, & Pſalmos ſive ἁγιόγραφα: Quam diſtinctionem Chriſtus retinet Luc.XXIV. v.44. Prophetas ſubdividebat in priores: ut ſunt Joſua, Judices, Ruth, Samuel, Reges, Paralipomena, Eſdra, Eſther, Job. & poſteriores: ut ſunt Prophetæ cœteri majores & minores: Hagiographa vero vel Pſalmi continent Pſalterium, Proverbia, Canticum Canticorum, Eccleſiaſtem. Vide Euſeb.l. 4. hiſt. c. 25. & l.6. c. 24. Damaſcenum l. 4. orthodoxæ fidei c. 18. Concilium Laodiceum, canone 59.

Landesbibliothek Oldenburg

Finis, cujus gratia Josua res â se gestas literis mandavit, est. (1.) Respectu DEI, δοξολογία magnifica prædicatio & commendatio divinæ veritatis, omnipotentiæ & misericordiæ: Hinc enim patet, quàm Deus sit verax in præstandis promissis, quàm omnipotens in delendis hostibus, quàm misericors erga populum suum.

(2.) Respectu sui est εὐχαριστία sive debita pro auxilio & consilio præstito gratiarum actio.

(3). Respectu Judæorum est παιδεία. Voluit enim Josua posteros olim etiam voce scriptâ informare & admonere, ut & ipsi quovis seculo tam munificentissimo patrum suorum Deo indissolubili fidei & obedientiæ nexu adhærerent, nec àvero cultu unquam se divelli paterentur. Inprimis vero sub typi integumento graphicè describit officium veri illius & cœlestis Josuæ, Christi, qui nos ex deserto ignorantiæ & idololatriæ per Jordanem sanctissimi Baptismi deductos, non tantùm hîc contra spirituales hostes, peccatum, mortem, diabolum & infernum masculè defendit: sed etiam tandem beatè morientibus æternæ mansionis & quietis patriam plenario jure possidendam tradit. Quo sensu librum Josuæ rectissimè dixeris Evangelium typicum. Sed de his specialibus in textus explicatione agetur. De hujusmodi typo lege Chrysostomum in c. I. Matthæi. Item. Homiliam 1. de verbis Esaiæ: *Vidi Dominum.* Augustinum Tom. X. hom. 27. super Numeros quæstion. l. 4. c. 53. Lactantium Institut. divinar. l. 4. c. 17. Hieronymum in Epistola ad Paulinum.

Nos

Landesbibliothek Oldenburg

Nos usum hinc petere possumus geminum. I. *Ecclesiasticum*, notantes exempla & doctrinam, quibus ad fidem & pietatem veram informemur. II. *Politicum*, si observaverimus virtutes eas, quæ societati inter universum aliquem cœtum ad publicam salutem certâ lege ac ratione sanciendæ inserviunt. Hîc uberrima locorum seges nobis offertur, de Magistratus origine, potestate, autoritate & virtutibus: de officiis subditorum: de re militari: de causis bonæ Reipubl. conservantibus, adjuvantibus, destruentibus. Usque adeò noster Josua cum sui similibus & bonum Theologum & bonum Politicum efficere potest. Et ita constat, quo loco materia proposita sit habenda.

II. προλεγόμενον.

Quæ Josuæ Personam ac vitam spectant, hæc sunt.

I. NOMEN.

A pueritia dictus est הוֹשֵׁעַ Osea, Latinè, salvator, â radice יָשַׁע salvum fecit. Sed per προσθεσιν literæ י quæ sumta est ex nomine יְהוָה vel יָהּ DEUS, vocavit eum Moses יְהוֹשֻׁעַ salvatorem Domini: propterea quod Dominus ad salvandum & liberandum populum suum ejus ministerio usurus esset. Vide Num. c. XIII, 17. Latini in pronunciatione faciunt συναίρεσιν literarum אהי dicentes Josua pro JEHOSUA, pro quo etiam JESUS usurpatur Actor. VII, 54. It. Hebr. IV, 8.

II. GENUS ET FAMILIA.

Oriundus fuit Josua ex tribu Ephraim, Patre Nun, qui septimo gradu ab Ephraim distat. 1. Par. 7. v. 23.

Procul

Procul dubio fuit hic vir bonus & disciplinæ puerilis studiosissimus. Qua de causa filium suum Moisi â tenera ætate in omni pietatis & virtutis genere educandum tradere voluit.

III. Educatio et Institutio.

Usus est Josua præceptore optimo & prudentissimo, nempè Moise, huic perhibetur â Philone lib. περὶ φιλανθρωπίας. extitisse φίλος καὶ γνώριμος ἐκ πρώτης σχεδὸν ἡλικίας. Item ὁμορόφιος καὶ ὁμοδίαιτος. Unde etiam adhibitus fuit negotiis gravissimis, quippe publicationi legis divinæ, Exod. XXIV, 13. item bello contra Amalekum gesto. Ex. XVII, 9. & explorandæ terræ Canaan. Num. XIII, 17. & XXVI, 65. Ex tanti viri schola & officina tanquam ex equo Trojano, prodiit noster Josua, cui DEUS noluit Reipublicæ gubernacula committere, priusquam â senioribus benè ac prudenter gubernandi rationem didicisset. Nam hæc est πολιτικὴ ἀρχὴ, ἣν δεῖ τὸν ἄρχοντα ἀρχόμενον μαθεῖν: *politicum principium, quod oportet discere Imperatorem, qui aliorum imperio subjectus sit*, ut loquitur Aristoteles 3. Polit. c. 3. Hinc apud Plutarchum Agesilaus commendatur, quod ad gubernacula imperii accessit, μὴ ἀπαίδευτος τοῦ ἄρχεσθαι *non ignarus imperio aliorum obtemperandi.*

IV. Mores vel Virtutes.

Probavit Josua DEO obedientiam debitam. Num. XXXII, 12. Moisi vero Domino suo & fidelitatem in serviendo, Ex. XXXIII, 11. & observantiam in æmulando, Num. X, 27. Tandem populo vel subditis declaravit penitissimam animi affectionem, consolando & defendendo eos contra hostium furorem. Num. XIV. v. 9.

V. Ev-

V. εὐτυχία.

Floruit Josua I. gratia apud Deum. Nam is solus (sc. ex adultioribus) cum Calebh, relictis in deserto murmurantibus, missus est in Canaan. Num. XIV, 26. II. Valuit autoritate apud subditos, qvam ipsi divina vocatio conciliavit. Num. XXVII, 18. sqq. Devt. XXXIV, 9.

VI. RES GESTAE.

Harum liber iste totus plenus est, cui addimus stragem Amalekitarum. Ex. XVII, 9. & Midianitarum. Num. XXXI. item explorationem terræ Canaan. Num. XIII, 17. & XXVI, 65. Qua de re etiam legi potest Ecclesiasticus c. XLVI.

VII. MORS.

Obiit Josua diem suum anno ætatis centesimô decimo, ut audiemus, Deo juvante, c. XXIV, 29.

EXPLICATIO CAPITIS PRIMI.

SUMMA.

PRimum Caput continet vocationem Josuæ & expressum Dei mandatum, qvo is excitatus, cum universo populo, tandem post obitum Moysis ad occupandam terram sanctam trans Jordanem se capessat, ne de præsentis Numinis auxilio & præsidio qvisqvam dubitet, sed in omnibus vitæ actionibus legem Dei qvàm religiosissimè servet & observet. Obedit Josua Deo vocanti & populi principes illicò de curandis viaticis sollicitos esse jubet. Qvi sanè ad exeqvenda jussa debitam obedientiam animô promtissimô pollicentur.

Landesbibliothek Oldenburg

DIVISIO CAPITIS.

Dividitur in 3. partes. I. est προοιμιακὴ; constans mandato; in qva Deus Josuam & Jordanem transire & animô magnô ac confidenti esse jubet.

II. Pars est παρασκευαστικὴ: in qva Josua populum de rebus, ad iter suscipiendum necessariis, admonet & instruit.

III. est ἐπαγγελτικὴ; in qvâ populus Josuæ obedientiam & obseqvium promittit.

DE PRIMA PARTE.

Pars 1. complectitur tria. I. mandatum τῆς διαβάσεως, transeundi Jordanem. II. Mandatum τῆς μεγαλοψυχίας. III. Mandatum τῆς ὑπακοῆς legi divinæ obediendi.

TEXTUS.

V. I. Et factum est) Præmittitur vocationi divinæ exordiolum, in qvo I. tempus vocationis Josuanæ. II. Causa προκαταρκτικὴ. III. Personæ colloqvii notantur.

Primò vocatur Josua ad ducendum populum in terram Canaan: qvando? post mortem Moysis h. e. anno mundi 2494. â vocatione Abrahæ 470. Tantam fecit Deus promissionis suæ implendæ moram. Hebræum ו qvod Latini vertunt (ET) non videtur prorsus ex linguæ Hebraicæ usu πλεονάζειν: sed est χετικὸν connectens historiam Josuæ cum libris Moysis & præbet nobis hunc sensum: Moritur qvidem Moses cum aliis pluribus numero, promissione Dei de terra Canaan adhuc pendente: Verùm post mortem ejus statim fit impletio. Intervenerunt tamen morti Moysis & vocationi Josuæ 30. dies ob illius obitum plan-

planctu consumti, qvos antè finiri necesse fuit, ne Israëlitæ viæ & rerum militarium meditatione â planctu avocarentur : de quo Devt. XXXIV, 8.

II. Causa προκαταρκτικὴ vocationis Josuanæ est mors Moysis, quam fœda ἀναρχία & detestanda ἀταξία in tàm pertinaci populo certissimè subsecuta esset, nisi Deus ipsi de novô duce & gubernatore prospexisset. Est autem insigne Encomium, qvod Deus Moysen servum suum salutat, utpote cujus ministeriô usus fuerat in edendis miraculis in Aegyptô : in educendô & gubernandô populô : in lege promulgandâ : in tabernaculô constituendô : in verâ religione propagandâ & promissione de Christô conservandâ. In his & aliis fidelissimi servi laudem reportavit, teste Deo ipso Num. XII, 7.

Disputari hîc potest : *An Moses cum cœteris terminum vitæ divinitùs præscriptum attigerit?* propterea, qvòd eum Deus propter incredulitatem & diffidentiam voluerit ante ingressum in Canaan mori, sicuti legimus Num. XX, 12. & Deut. I, 37.

Resp. Verè attigit : Dicit enim Deus Deut. XXXI, 14. *Ecce propè sunt dies mortis tuæ*, intellige in librô divinæ providentiæ consignati, juxta Psal. CXXXVIII, 16. Sed distingvenda est *Causa* mortis *per se* & *per accidens*. Mortuus est Moyses ante possessionem terræ non per decurtationem vitæ, sed per dilationem & prorogationem ingressus in terram promissam.

Disputamus præterea : *An Moses verè mortuus sit, an verò unà cum corpore vivus sit in cœlum translatus*, instar Enochi Gen. V, 24. vel Eliæ 4. Reg. II, 1. idque ideò I. Qvia sepulcrum ejus non fuit cognitum,

Deut. XXXII, 6. II. Qvia in monte Thabor visus est cum Elia Matth. XVII, 3.

Resp. Mosen verè mortuum esse testatur noster textus, dum inqvit : *Factum est post mortem Moysis*, non dicit *post translationem*. 2. Doluerunt Israëlitæ. 3. Dicitur sæpè, Mosen cum Aarone mori debuisse. Unde verisimile est, Mosen in monte Thabor, per dispensativam σωματικὴν εἴδης assumtionem, apparuisse. Nam de ejus resurrectione nihil extat in scriptura.

III. Personæ colloquii hujus duæ sunt : Una loquens Deus est, verus JEHOVA, non angelus quispiam : Altera auscultans, quæ describitur 1. â nomine, Josua. 2. â genere. Filius Nun. Derivatur hoc nomen â נוּן, quod significat soboleſcebat : vel â נָוָה speciosus aut decorus fuit : hinc Græcis Ναυὴ appellatur. 3. Describitur â conditione vitæ, quòd fuerit minister Moysis, sive παρεςηκὼς, qui lateri ejus fideliter adhæsit, sicut legimus Num. XI, 28. Hebraicè מְשָׁרֵת â radice שָׁרַת ministravit in rebus Ecclesiasticis (Er ist Moysis Küster gewesen / mundus vocat ein Pfaffen-Knecht : quia *Mose revertente in castra, Josua non recessit â tabernaculo* Ex. XXXIII, 11.

Atque ita distingvitur Josua noster ab aliis ὁμωνύμοις, â Josua sacerdote Magno. Zach. III, 8. & Jesu Siracide.

LOCI EX VERS. I. ECCLESIASTICI.

I. De mortis tyrannide. Contra qvam nec Mosen tanta, qvæ sibi cum Deo intercessit, familiaritas tutari potuit.

II. De

Landesbibliothek Oldenburg

II. De piorum fama post hanc vitam, quæ omnium laudatissima est, quòd fuerint ac maneant servi Domini. Nam *in memoria æterna erit justus.* Ps. CXI, 7.

III. De sanctorum cultu. Sanctos defunctos tanquam servos Domini commendare debemus, neutiquam verò adorare: juxta illud Salomonis Prov. X, 7. *Memoria justi cum laudibus.*

IV. Summa & incomparabilis laus est & omnium regum titulis insignior audire servum Domini. Ex Domini enim majestate servorum honos æstimari debet. Ideoque David orat Ps. LXXXIII, 11. *Elegi abjectus esse in domo Domini mei magis &c.* Propterea mundani homines stultitiæ nomen effugere minimè possunt, quoties tantæ gloriæ præponunt carnales titulos.

LOCI POLITICI.

I.

DE MAGISTRATUS NECESSITATE.

Ut enim navis naucleri, grex pastoris, pueri pædagogi regimine carere non possunt: Ita vita humana, nisi superiorum prudentia potentiaque regatur, salva esse minimè potest. Magnum igitur est beneficium, quod Deus desflorescentibus Ecclesiæ & Reipublicæ proceribus alios doctores & duces substituit, ut hic Moysi Josuam.

Landesbibliothek Oldenburg

II.

DE LEGITIMIS HEROUM GRADIBUS.

Josua famulatur aliquandiu Mosi in tabernaculo: postea evadit ~~in~~ præstantissimum totius populi ducem & Imperatorem. Ita qui aliquando ad honorum fastigia conscendere satagunt, haud gravatim prius in servitutis pulverem se demittere debent, ut suo inde tempore exaltentur, juxta Ps. CXII, 7.

III.

DE FIDELIUM MINISTRORUM PRÆMIIS.

Qui in minimis talentis fidelis est, is tandem aliquando maximis præficitur Matth. XXV, 23.

TEXTUS.

Moses servus meus mortuus est &c.) Hoc est primum mandatum, ut Josua cum populo transeat Jordanem.

Propositio meminit trium terminorum. I. Terminum â quo innuit vox (SURGE) quæ jubet Israëlitas de campestribus Moabiticis, ubi Mosen 30. dies luxerant, discedere, II. Terminus per quem est Jordan. III. Terminus ad quem est terra promissa.

Argumenta mandati ducuntur. 1. *à necessitate* conservandi politiam Judaicam, cui, ut morte Moysis periculosum vulnus inflictum fuerat: Ita necesse fuit eidem, Josuæ vocatione, tempestivam medicinam adhiberi v. 2.

II. *Ab utili*, vel certa possessione divinitus concessæ terræ v. 3. *Omnem locum occupat, in quô ambulabit planta pedis sui &c,*

III. *Ab honesto*: Quia promisit Deus eam terram Mosi. Verba textus: *Sicut locutus sum Mosi* Ubi τὸ *sicut* est causale.

IV.

IV. *â tuto* : quia *nullus poterit resistere vobis intrantibus* v. 5.

V. *ab exemplo* : Quam enim tutelam Deus Moysi præstitit, eam quoque præstiturus est Josuæ, v. 5. *Non insurget vir contra vos omnibus diebus vitæ &c.*

V.4. A deserto & Libano) Amplificat Josua tertium argumentum ὁρισμῷ vel descriptione limitum terræ, qui sunt â meridie desertum vel Arabia Petræa : (ubi 40. annos consumserunt Israëlitæ) à septentrione Libanus sive Alpes Palæstinam & Cœlesyriam dirimentes : ab ortu Euphrates : ab occasu mare magnum. v. 5.

Libanum reddunt 70. interpretes Ἀντιλίβανον : qui mons nomen habet vel ab albedine, propterea quod propter altitudinem (ut quidam putant) perpetua nive contegatur. Nam לָבָן significat dealbatus est : vel â thure, cujus est feracissimus, quia לְבוֹנָה significat thus.

Euphrates, qui Hebræis פְּרָת â fertilitate dicitur. Nam פָּרָה significat fertilis fuit : Hinc Græcum φέρω : Appellatur hic fluvius magnus, καθ' ἐξοχήν, quia Xenophon scribit l. 2. expedit. Cyri minoris : *latitudinem ejus esse 3. stadiorum minus decimæ partis milliaris Germanici.* Mare magnum est mediterraneum, sic dictum 1. vel respectu consvetudinis lingvæ Hebrææ, quæ omnem aquarum congregationem vocat mare, ut Gen. I, 10. Deut. XI, 24. appellatur mare ultimum, propterea quod versus occasum situm sit. Vel respectu marium terræ sanctæ, cujusmodi erat mortuum, & mare Tiberiadis Joh. VI, 1.

Sciendum est autem, Israëlitas terram hisce finibus descriptam non una vice ; sed successivè occupâsse :

Nam

Nam regiones ab Euphrate usque ad terram Philistinorum & terminos Aegypti subegit demum Salomon sceptro suo regio, annis post Josuam 400. 3. Reg. IV, 24. 2. Par. IX, 26. Interea habitârunt medii inter Cananæos, Hettæos, Amorrhæos, Pherezæos, Hevæos & Jebusæos. Jud. III, 5. Quia verò Josua post obitum Mosis populum in terram Canaan introducit, disputatur non immerito: *An Moses unquam terram promissam pedibus suis tetigerit?*

Sententiæ negativæ ratio prima est: Deus dicit Num. XX, 12. *Quia non credidistis mihi, ut sanctificaretis me coram filiis Israël, non introducetis vos populos in terram, quam dabo eis.* Dicit autem hæc Deus ad Mosen & Aaronem: Ergo Moses cum Aarone non venit in terram promissam.

Affirmativæ sententiæ ratio hæc est: Terra Gigantum sive Raphaim & Amorrhæorum est semini Abrahæ promissa Gen. XV, 18. Ubi decem gentes ab Israëlitis prælio excidendæ nominantur; Atqui Moses intravit terram Gigantum sive Raphaim & Amorrhæorum; E. Moses intravit terram promissam. Probatur MINOR: nam devictis regibus Og & Sehon, eversisque 60. urbibus, distribuit Moses eorum sedem tribubus Ruben, Gad, & dimidiæ tribui Manassæ, ut legimus Num. XXXII, 1. Deut. III, 12. Numerantur autem Og & Sehon inter Amorrhæos & Raphaim. Jud. II, 10. Num. XXI, 21. Respondeo per *distinctionem*: Nomen terræ promissæ usurpatur in scripturâ bifariam. I. ὁλικῶς, de tota sede populi Judaici cis & trans Jordanem, quæ divisa erat in 12. partes, pro numero tribuum, habens versus ortum pro finibus torrentem Zareth & Arnon Num. XXI, 12. 13. Deut. II, 14.

Nam

Nam quod transitus Zareth usque ad consumtionem omnium virorum Israëliticorum differebatur, id indicium faciebat, promissæ terræ initium exinde æstimandum esse. In hoc sensu accipitur terra promissa Gen. XV, 18. Exod. XXIII, 23. Num. XXXIV. Deut. XII, 24. II. Usurpatur nomen promissæ terræ μερικῶς de certa parte. Hinc docendi Causa alia cis-Jordanina dici potest, quæ cis Jordanem sita est & habet duas tribus, Ruben & Gad cum dimidia Manassæ. De hac parte vera est sententia affirmativa. Nam Moses pervenit usque ad Jordanem. Alia dici potest transjordanina, ut quæ trans Jordanem sita est & complectitur cœteras novem tribus cum dimidia Manassæ. De hac parte loqvuntur sententiæ negativæ argumenta & accipitur sic in nostro textu & locis allegatis.

Huic disputationi subjungimus quæstionem aliam: *Num quis unquam Josuæ toto vitæ suæ tempore resistere potuerit?* Negatio nititur expresso textu: Attamen dubitandi rationem objicit nobis pugna infelix cum civibus urbis Hai suscepta Josuæ VII, 5. qui partem Israëlitarum prosternunt, cœteros in fugam præcipites agunt. Ergò habuit Josua sibi resistentes. Respondeo: est fallacia *accidentis*, item *à dicto secundùm quid ad dictum simpliciter*. Nam promissio perpetuæ defensionis Josuæ data, non fuit absoluta, sed cum conditione obedientiæ & servandæ legis conjuncta, ut apparet ex v. 7. Quod igitur Israëlitæ peremti sunt ab Hainis, in causa est non divina promissio, sed ipsius populi prævaricatio & furtum, ait audiemus c. VII, 11.

EXPLICATIO TEXTUS.

V. 5. Sicut fui cum Mose) Est Deus cum fidelibus suis non per otiosam παρουσίαν, vel nudam assistentiam, sicut pileus clavo adhæret, vel stella suo orbi: sed est nobiscum per potentissimam ἐνέργειαν, dum præsentissimus nos defendit, tuetur, servat, gubernat, ut ejus præsentia confisi, cum Paulo exclamare possimus: *Si Deus pro nobis, quis contra nos?* Rom. VIII, 31.

Non dimittam) vel est synonymia, non quidem inanis, sed pathetica, reddens Josuam de promissionibus divinis multò certiorem: vel est αὔξησις. Videtur enim plus esse relinquere, quàm dimittere. Nam רָפָה significat *remissior fuit, inclinavit*: in Hiphil הִרְפָּה significat, *è manu demisit, manu laxavit.* At עָזַב significat *prorsus dereliquit, deseruit.* Tentatio autem desertionis omnium gravissima est, quod testatur Christi lamentatio in cruce: *Deus meus, Deus meus, quare me dereliquisti?* Est igitur sensus: Ego non dimittam te è patrocinii mei manu, multò minus te prorsus abjiciam, omni meo auxilio orbatum. Repetitur eadem locutio Hebr. XIII, 5. Deut. XXXI, 6. & 8.

LOCI ECCLESIASTICI.

I.

DE OFFICIO LEGIS ET EVANGELII, *quod τυπικῶς hîc describitur.*

Ut enim Moses populum non potest ulterius ducere, nisi usque ad Jordanem: quæ restat officii, Josuæ committit, ipse verò moritur: Ita lex est noster

Pæ-

Pædagogus usque ad Christum, graviter accusans peccata & relinquens ita nos ad Jordanem mortis, horrendis desperationum, tentationumque fluctibus resonantem, quorum intuitu & auditu, quàm primum ad deploranda peccata nostra suscitati fuerimus, in cordibus nostris emori & extingvi. Sed adest illicò Christus, Josuæ officio adumbratus, qui verbo gratiæ & salutis conquassatæ conscientiæ fluctus sistit, ac per eos nos in pace veluti siccis pedibus, in cœlestem patriam, divinæ consolationis melle & lacte uberrimè profluentem, perducit.

II. DE VOCATIONE.

I. In vocatione legitima, tam diu unicuique sedendum & permanendum est, donec Deus ipse dicat: SURGE. II. Vocatio divina duplex est, vel est ἄμεσος, cum Deus quempiam αὐτοπροσώπως vocat, ut hîc Josuam, vel est ἔμμεσος, cùm vocat ἀλλοπροσώπως per homines. III. Successionem in servi fidelis locum nisi ipse vel mortuus sit, vel legitimo modo discesserit, nemo vel ambire, vel oblatam recipere debet: pugnat enim utrumque cum legitima vocatione. IV. Vocatio legitima habet individuo nexu conjunctam divinæ præsentiæ & protectionis promissionem, quod apparet ex hisce verbis: *Ero tecum, non dimittam.* Semper enim Deus se vocatis Regibus, Prophetis & Apostolis præsto futurum pollicetur, 3. Reg. VI, 13. Jer. I, 19. Matth. X, 20.

III. DE EXEMPLIS BIBLICIS.

Exempla sanctorum præbent nobis in adversis plurimum solatii solidi. Solatur enim hîc Deus Josuam exemplo conservati Mosis.

IV. DE DIVINA PROVIDENTIA.

Deus non est ociosus spectator actionum humanarum, præsertim in Ecclesia: sed adest fidelibus suis ita, ut eos nec dimittat nec relinquat.

V. DE ÆTERNA DEITATE CHRISTI.

Hunc locum suppeditat nobis Chaldaica paraphrasis, quæ sic habet: Quemadmodum fuit מֵימְרִי *verbum meum in auxilium Mosis: Ita erit verbum meum in auxilium tuum.* Ita nobis exponit Chaldæus, quòd is, qui h. l. se cum Josua futurum promittit, nullus alius sit, nisi æternus Dei Filius, τὴν ἀρχὴν, *initiò loquens Judæis* Joh. VIII, 25. *& consequens eos in deserto* 1. Cor. X, 4.

LOCI POLITICI.

I.

DE MAGISTRATUS POLITICI VOCATIONE.

Qui vult vel Rempub. capessere vel bella gerere, primò omnium de divina vocatione certus sit: hæc enim conciliat magistratui autoritatem, addit animum in adversis: suggerit vires in laboribus, v. 1.

II. Deus est αὐτοκράτωρ & Dominus totius orbis terrarum, distribuens eas, quibus quantumque vult, ex versu 2. & 3. Dan. IV, 22. Deinde est etiam Deus autor & conservator politici ordinis, ideòque habet potestatem vocandi duces & imperatores Es. XLV, 24. *Meæ sunt justiciæ &c.* Dan. II, 21. Prov. VIII, 15. *Per me reges regnant &c.*

III. DE FINIBUS IMPERIORUM.

Circumscribit & includit Deus singula imperia certis terminis & limitibus, sicut hîc terram promissam,

ſam, quos evagari & tranſilire nemini impunè licet, Dan. VII, 12. Perſici imperii limes fuit Helleſpontus, verſus occaſum, quem transgreſſi reges Perſici magnis cladibus affecti ſunt. Anno mundi 3454. intulit Darius, Rex Perſarum, Hyſtaſpis filius, Scythis bellum, ſed in fugam verſus, relicto exercitu, trepidus ſe intra fatales regni ſui terminos recepit. Lege Juſtinum l. 2. Poſtea anno 3484. duxit Xerxes contra Græcos exercitum tantæ multitudinis, ut ejus adventu flumina exiccari fermè viderentur, nihilominus 4. vicibus miſerè cæſus eſt, propter fatalis termini transgreſſionem. Victus eſt, 1. ad Thermopylas. 2. ad Artemiſium. 3. ad Salaminem. Tandem ad Plateas: tantis cladibus compulſus rex refugit in Perſiam. His & ſimilibus exemplis edocti imperatores, reges & principes, parte terrarum divinitus ſibi definita contenti ſint, nec ditiones limites temerè transiliant, aut eorum amplificadorum Cauſa bella non neceſſaria vicinis moveant. Melius enim eſt, exiguam terram benè regere, quàm latam & amplam malè regere & cum periculo ac motu poſſidere: quandoquidem politiis nihil tàm vitioſum eſt, quàm πλεονεξία & avaritia.

IV. DE TERMINIS PRIVATI DOMINII.

Non minùs circumſepſit etiam Deus cujusque privati civis domum, agros & alia bona certis terminis, intra quos ſe quisque continere debet, nec alienis vicinis bonis inhiare, ſi nolit experiri, VÆ illud Eſ. V, 8.

EXPLICATIO TEXTUS.

V. 6. Confortare & eſto robuſtus)

Hoc eſt ſecundum mandatum fidei, ut Joſua ſit magno & infracto animo contra omnes adverſitatum turbines, nec ſinat ſe tot robuſtiſſimarum gentium, totque minutiſſimarum urbium conſpectu, â vocationis ſuæ operibus retrudi aut deterreri. In Hebræo eſt verbum חֲזַק & אֱמַץ, quæ duo verba conjunguntur Deut. XXXI, 6. & 1. Par. XXII, 13. It. Pſ. XXXI, ult. Quin in noſtro textu repetuntur quater v. 6. 7. 9. & 18. in fine, ut appareat, partim quòd Joſua Moſis verbis admodum delectetur: partim quòd mandatum iſtud maximi ſit momenti, ideòque animis fideliter inculcari debeat. Differunt autem ſic, ut τὸ חֲזַק referatur ad potentiam & effectum, confortare: alterum אֱמַץ ad animoſitatem & affectum pertineat. Hoc exemplum manifeſtum reddunt Ezech. xxx, 21. 2. Sam. II, 7. dicitur *brachium confortari ad tenendum gladium*: Dan. XI, 5. dicitur *rex auſtri prævalens* (חָזַק) *potentior eſſe principibus ſuis.* 2. Sam. x, 11. *prævaleſcere* eſt potentia ſuperare: Ubi paſſim uſurpatur חָזַק. At אֱמַץ tribuitur cordi Pſal. xxxi. *Confortetur cor tuum.* Quanquam hæc diſtinctio non ubique obſervatur. Secundum autem eſt, divinum hoc mandatum non tantùm eſſe παροξυνθικὸν excitans Joſuæ animum ad magnitudinem, & inſtruens manus ad prælia, ſed etiam planè ἐνεργητικὸν mandando ſimul inſpirans animo & corpori præclara virium augmenta, ut ad executionem operum, quæ virtutem ac potentiam humanam ſuperabant omnem, ſufficere poteſt. GOtt hat Jhm mit dem Gebet Stärck und Troſt ins Hertz gegeben. Tanta eſt verbi divini efficacia.

Tu

Tu enim sorte) Hebraicè: tu facies hæreditate, vel pro hæreditate distribues. Est argumentum παραμυθητικὸν consolatorium â spe commodi, vel transitus Jordani eventus, per synecdochen consequentis pro antecedente. Si enim Josua divisurus est terram populo, necesse est eum Cananitis profligatis & deletis, cum suo exercitu salvum & incolumem superesse. Reperiuntur enim victores, qui victis hostibus ipsi quoque occubuerunt, sicut Leonides, Spartanorum Rex cum sexcentis Lacedæmoniis ita contra Xerxem pugnavit, ut quinquies centena quidem millia de ejus exercitu trucidaret: verùm de victoribus ne unus quidem tàm felicis victoriæ nuncius remansit. Tale quid Josuæ metuendum non est, habet enim certissimam spem dividendæ terræ, hostibus vi ereptæ.

Pro qua juravi) Spes data confirmatur ἀτέχνως â juramento Dei: Quod juramento divino ratum est, de eo minimè debet Josua dubitare: At juramento divino ratum est, ut Josua terram Canaan, deletis incolis, dividat: Ergò de terra Canaan deletis incolis dividenda Josua minimè debet dubitare. Juravit autem Deus pro hac terra Abræ, pacto fœdere Gen. XV, 18. XXII, 16. Deut. I, 35. Eccles. XLIV, 21. sqq.

Ut traderem eam illis) τὸ ILLIS referri potest bifariam 1. κατὰ τὸ ῥητὸν ad præcedens substantivum, patres, per Meton. causæ pro effectu. Nam ut Israëlitæ fuerunt δυνάμει in lumbis Abrahæ, & consequentium patrum: ita terra promissa tradita fuit patribus, non quoad ipsorum personam, sed quoad po-

posteros, qui quippe nondum nati, actu â majoribus non differebant. Quemadmodum Deus Salomoni æternum & perpetuum regnum super Israël pollicetur, intelligens Christum ex Salomonis prosapia olim nascendum 3. Reg. IX, 5. & 1. Par. XXII, 9. 10. II. Referri potest τὸ ILLIS κατὰ τὴν ὑπόνοιαν ad populum, ita, ut per Synecdochen numeri sensus referatur ad homines, quos antea dixit populum DEUS. In hunc modum vertit Chaldæus tritum: *Tu possidere facies populum istum terram, quam juravi patribus eorum, me daturum eis.* Deum jurare meminit scriptura aliquoties, & in nostro textu, & alibi, Gen. XXVI, 3. Deut. I. 35. 1. Par. XVI. 16. Ps. CIX, 4. & CIV, 9. Jer. XI, 5. LI, 14. Luc. I, 73. Quin extant etiam formulæ divini juramenti Ezech. XXXIII, 17. *Vivo ego.* Amos. IV, 2. & VI, 8. Tamen notat Philo lib. 2. legis Allegoriarum, quòd nonnulli contrarium statuerint, quorum, ut & aliorum, rationes hæ sunt. 1. *à definitione.* Non convenit Deo definitio juramenti: Ergò nec juramentum ipsum. Anteced. prob. quia, ut Philosophus definit in Rhet. ad Alexand. c. 18. ὁρκός ἐστι μετὰ θείας παραλήψεως φάσις ἐναπόδεικτος, *Juramentum est assertiò, confirmata per divini numinis assumtionem*: Atqui talis assertio Deo non competit: quia quod affirmat, est â priori & superiori ἀναπόδεικτον, indemonstrabile. *Nam omnia ejus verba sunt juramenta per suos effectus confirmata*, inquit Philo. 2. *A fine.* Qui jurat, obligat se & ad pœnam Dei & ad ignominiam apud homines, si pejeraverit, At Deo non competit talis obligatio propter summam ejus perfectionem, & αὐτοκρατορίαν; E. nec juratio.

3. *Ex*

3. *Ex Plutarchi quæstionibus Romanis possunt talia objici ab absurdo sumta: Qui jurat, tormentum patitur:* nam βιασμός τις ἐλευθέρων ὁ ὅρκος *juramentum est tormentum quoddam liberorum: Qui jurat, ei licet* ἀπιστεῖν *diffidere. Committit is execrationem: nam omne juramentum desinit in execrationem perjurii,* πᾶς ὁ ὅρκος εἰς καταρὰν ἀπολήγει. Sed nullum horum Deo convenit: ratio 1. quia est ἀβασάνιστος *omnis tormenti expers,* cùm sit liberrimum agens. 2. est in omnibus πεπιστευμένος *dignus cui fides habeatur.* 3. Quia καταρᾷ vel execratio est δύσφημον καὶ συγερὸν *mali ominis & tristis.*

Atque his de causis non licuit Flamini diali (sacerdoti Jovis) apud Romanos jurare: ergò multò minus jurare competit Deo.

4. *à supervacaneo* ἐκ τοῦ ἀχρηστίου. *Veritas non indiget juramento: nam fidelis sermo retinet locum sacramenti,* inquit Bernhardus de modo benè vivendi serm. 32. & Hieron. l. 1. in Matth. c. V. Atqui Deus est veritas ipsa, & sermo ejus est fidelissimus. E. Deus non indiget juramento.

Quid ergo statuendum? Respondeo. Juramentum vel juratio hoc in loco vagi nominis est. Nam in proprio sensu non competit Deo, ut concludit rectè pars negativa. At per Metaph. vel ἀνθρωποπάθειαν sæpè legitur Deus in scriptura jurâsse, sicut & ambulâsse, indignatus esse, pœnituisse &c. Interim solet ita se ad captus humani infirmitatem accommodare, ne qua dubitandi ratio in animos nostros obrepere possit. Hinc Athanasius in Evangelio de passione & cruce Domini fol. 285. scribit: *Non ut homo jurat Deus, sed nobis ipsius sermo pro juramento est ad veritatem.*

Landesbibliothek Oldenburg

Hominibus autem loquens jurare dicitur & hoc ipsum ἀνθρωπικώτερον *humano more efferunt Sancti, ut nudè ipsi fidem loquentes haberi sibi velint, inde etiam Deo loquenti fidem habeant*, ὥσπερ γὰρ ἀνθρώπων τὸν λόγον ὅρκῳ βεβαιοῖ, ὅτως ἃ λαλεῖ ὁ θεὸς ἀνθ' ὅρκου λογιζέσθω. *Quemadmodum enim hominum orationem juramentum confirmat: Sic quæ Deus loquitur pro juramento reputentur:* Et paulò post: *Non per alium juravit, quod proprium est jurisjurandi, sed per se,* ὅως τοῦ ὅρκου ὑπόνοιαν ἐκφεύγει *quod æstimationem juramenti non capit: verum id fit, ut firmitudo promissionis appareat, & quantoperè id, quod dicitur, credi debeat*, hactenus Athanasius.

Augustin: de tempore serm. 16. sic inquit: *tanquam juratio est Dei testificatio.* D. Damascenus l. 1. Orthodoxæ fidei c. 14. Juramentum Dei refert inter τὰ σωματικῶς καὶ συμβολικῶς περὶ τοῦ θεοῦ εἰρημένα: *quæ corporali modo & per similitudinem de Deo prædicantur:* & exponit sic: Quòd juramentum istud significet τὸ ἀμετάθετον τῆς βουλῆς αὐτοῦ ὅτι τοῦ παρ' ἡμῖν δὶ ὅρκου τὰς πρὸς ἀλλήλους βεβαιοῦσθαι συνθήκας· hoc est: *Immutabilitatem consilii ejus, eò quòd apud nos contractus invicem per juramentum confirmentur.* Postea usum Metaphoricarum ejusmodi locutionum tali appendice commendat: πάντα τὰ σωματικῶς εἰρημένα ὅτι θεοῦ κεκρυμμένην ἔχει τινὰ ἐννοίαις ἐκ τῶν καθ' ἡμᾶς τὰ ὑπὲρ ἡμᾶς ἐκδιδάσκουσαν. *Omnis de Deo corporaliter dicta, habent occultam quandam diligentiam, ex iis, quæ sunt circa nos, ea, quæ sunt supra nos, edocentem.* Quapropter quando Deus jurat, non ideò facit, ut verbum suum, quô nihil certius est, in se confirmet: sed ut ejus certitudinem supra omnem juramenti humani religionem commendet.

LO-

LOCI THEOLOGICI.

I.

DE FORTITUDINE.

Vera & constans fortitudo non est opus carnis, sed donum Dei, quod divinis promissionibus de præsentia & auxilio Dei in periculis accenditur, nutritur ac fulcitur. Aliàs facilè degenerat vel in furorem, ut videmus in Ajace: vel in timiditatem, ut testantur exempla αὐτοφόνων interfectorum sui ipsius, qui, ne mala paterentur, pessima commiserunt.

II. Verbo Dei semota omni dubitatione mentis credendum est, quippe quod nihil differt ab ejus juramento: est enim par utriusque certitudo. Nam qui verax est, loquitur, ideoque sæpè jurâsse legitur. Pudeat ergò nos incredulitatis nostræ & diffidentiæ, qui dum in hominum juramentis acquiescimus, Deo juranti hæsitantes sæpè credimus.

LOCI POLITICI.

I. Magistratui necessaria est fortitudo maximè, non ad difficilima & ardua quæque consequenda veluti classicum canit.

II. Nemo de occupanda terra aliqua laboret, qui divinitus eam sibi datam esse ignoret.

EXPLICATIO TEXTUS.

V. 7. Confortare igitur, ut custodias &c.) Hoc est 3. mandatum, postulans, ut Josua omnem legem â Mose conscriptam custodiat & faciat, ejusque considerationi dies noctesque impendat.

Amplificatur autem variis modis I. ἐρεισμῷ vel *descriptione*, *petita* 1. *â causa instrumentali* Mose: *Quam præcepit tibi Moses servus meus.* 2. *ab adjuncto*, nempè scriptura: verba textus v. 8. *Ut facias omnia, quæ scripta sunt.* II. αἰτιθέσει vel *remotione contrarii.* Verba textus: *Non declines ab ea ad dextram vel ad sinistram.* Item v. 8. *Non recedat volumen legis hujus ab ore tuo.* III. Amplificatur αἰτιολογίᾳ *â causa finali, quæ duplex est.* 1. εὐπραξία vel *prudens actio*, verba textus: *Ut intelligas cuncta, quæ agis,* 2. εὐτυχία *prosperitas in peragendis officii partibus*, v. tex. v. 8. *Tunc diriges viam tuam.* IV. Amplificatur ἐξεργασίᾳ, quâ expolitur verbi divini studium, v. tex. *Meditaberis in eo diebus ac noctibus.* V. Amplificatur παλιλογία repetitione, partim propositionis ad fortitudinem adhortantis, partim argumenti principalis ducti â præsentia Dei v. 9.

Confortare igitur) In Hebræo legitur רַק, quæ particula non est ratiocinativa, ut 70. interpretes reddunt per ἄν, sed est exclusiva, significans *tantum* vel *solùm.* Excludit autem non legitima vocationis opera, perinde ac si ea negligere liberum sit: sed rejicit carnalem confidentiam, ne Josua propriâ virtute & robore fretus, attendat quippiam præter & contra Dei voluntatem & gloriam, idque postea jactitet suæ fortitudinis meritum.

Ut facias omnem legem) Hebraicè כְּכָל־ secundum omnem legem, ut ita Josua legem Dei pro norma & regula omnium actionum habeat, posthabito privato de rebus agendis judicio. Nomen legis accipitur hîc non εἰδικῶς de parte doctrinæ, quæ op-

opponitur Evangelio, ſed γενικῶς pro univerſo revelato Dei verbo, quod tum temporis Pentateucho Moſis abſolvebatur: ideòque v. 8. nuncupatur *volumen legis.* Hebraicè סֵפֶר *liber* ſive *ſcriptura,* â סָפַר *recenſuit, ſcripſit.*

Ut intelligas cuncta) In Hebraicô eſt תַּשְׂכִּיל *prudenter & conſideratè ages, in omni re, in qua ambulabis.* Nam שָׂכַל ſignificat *calluit, ſapuit.* Poſcit igitur Deus, ne Joſua Princeps ad res agendas ruat, ſed cum conſilio & prudentia accedat. Ambulare autem in re, eſt eam omni ſtudio perficere.

V. 8. Tunc diriges viam tuam) Hebraicè תַּצְלִיחַ *proſperabis viam tuam & ſuccedent tibi omnes functiones ex animi ſententia,* â radice צָלַח *fuit felix*: ſignificat autem via metaphoricè actiones, conſilia & res geſtas, ut Gen. VI, 12. *Omnis caro corruperat viam ſuam,* 2. Par. XIII, 22. Pſ. I, 6. *Novit Dominus viam juſtorum.* Et Pſ. XXXVI, 5. *Commenda Domino viam tuam.* Ut enim iter facientes minimè ſolliciti ſunt de viæ profunditate, aut latitudine, non evagantur ad dextram, non ad ſiniſtram deflectunt: ſed ad ejus longitudinem ſive lineam incedunt: ita pii, donec in vitæ hujus curriculo verſentur, moleſtiarum, quibus mundus iſte ſcatet, abyſſum minimè formidare debent, nec ad dextram ſive ſiniſtram exorbitare, ad res â vocatione ſua alienas, ſed rectà juxta mandati & verbi divini lineam ad amuſſim, ſuas actiones inſtituant, currentes ſtrenuè, ut promiſſum coronæ incorruptibilis βραβεῖον reportent, & cum Paulo exclamare poſſint: *Bonum certamen certavi &c.* 2. Tim. IV, 7.

V. 9. Noli metuere & noli timere) In Hebræo

est תַּעֲרוֹץ & תֵּחָת, quæ differunt ut magis & minus. Nam עָרַץ est animi & gestuum & significat *concussus est terrore* vel *metu* : ast תָּחַת est totius corporis & significat *præ merô metu prostratus est humi, abjecit se victum ad pedes hostis.* Contra tantam μικροθυμίαν præmunit & armat Deus Josuam, vivido præsentiæ suæ solatio q. d. Laß dir das Hertz nicht nehmen/ und gib dich ja niemand gefangen : tantummodò crede & confide meo verbo, in studio pietatis fideliter ambulans.

QVÆSTIO I.

An homo habeat liberum arbitrium, omnem legem Dei servandi?

Affirmant id Synergistæ, talis medii prætextu. Quos Deus jubet custodire & facere omnem legem Mosis, eos necesse est liberô arbitriô præditos esse.

Sed Deus jubet eos homines custodire & facere omnem legem Mosis. E. necesse est omnes homines libero arbitrio præditos esse.

MINOR est manifesta ex textu ; nam sub Josuæ persona præcipitur omnibus obedientia legi divinæ debita.

MAJOR prob. ab absurdo : quia postulare quippiam á virium suarum impotibus, quid aliud est, quàm â claudo ambulationem exigere ? sanè utrobique supervacaneum erit postulatum. Contrà denegat sacra scriptura humano arbitrio omnem libertatem hisce verbis : Gen. V, 5. & VIII, 21. *Omne figmentum cogitationum cordis est malum &c.* Joh. XV, 5. *Sine me nihil potestis facere* : Phil. II, 13. *Deus est, qui operatur in nobis velle & perficere.*

λύσις.

λύσις.

Respondeo autem ad ἀντιπίπτοντος majorem ejusque probationem, inesse ei *fallaciam â dicto secundum quid.* Nam distingvendus est primò *status corruptionis â statu regenerationis* : Si de hominibus corruptis & nondum regeneratis Major intelligitur, falsa est : quia â mandato Dei ad præstandæ obedientiæ facultatem non valet consequentia. Nec tamen mandatum divinum ideò supervacaneum est, vel illusionis argumentum : Sed nos vult ita Deus partim debiti nostri, partim verò communis miseriæ & nostrâ culpa amissæ libertatis admonere : quemadmodum si prudens medicus ægrotantem, qui prosperam valetudinem cœco animi errore sibi fingeret, juberet assurgere, & res magnas & arduas efficere. Quod si Major referatur ad renatos, distingvo iterum. 1. liberi arbitrii *Causam efficientem*, quæ in nobis non est natura, sed Spiritus S. Motus & gubernatio. 2. liberi arbitrii effectus in renatis est obedientia *non consummata sed inchoata.* Sic igitur accipitur Major. Quoscunque Deus renatos jubet custodire & servare omnem legem Mosis, eos necesse est valere libero arbitrio, non natura, sed S. Sancto operante liberam obedientiam, & eam quidem non perfectam, sed inchoatam pro infirmitatis nostræ modulo. Cætera, quæ nobis desunt, petimus propter Christum nobis condonari. Minorem quod attinet, agit textus ex propria intentione de renatis, qui se, ad præstandam legi divinæ obedientiam non habent, ut claudi ad ambulationem, quemadmodum Majoris probatio innuere videtur :

sed

ſed habent ſe ut organa Spiritus S. cujus ductu & quidem χειραγωγίᾳ nixi, curſum pietatis ſtrenuè urgent.

QVÆSTIO II.

An ſolum verbum Dei ſcriptum ſit norma religiouis & cultuum?

Jeſuitæ (Eſauitæ eitel Sauen) negant hoc ex noſtro textu & ſimilibus argumentis argumentantes in hunc modum:

Norma religionis & cultuum eſt unica in V. & N. T. quia veritas Theologica nititur uno ac eodem principio, quod eſt verbi divini patefactio.

Sed verbum Dei ſcriptum non eſt unica norma in V. T. E. nec in N. T.

Minorem probant ex textu: nam Joſua multa fecit, quorum non habuit in ſcripta Moſis lege mandatum: propterea paſſim legitur: *dixit Dominus ad Joſuam.* Quinimò libris Moyſis additi fuerunt cœteri, ut hiſtoria Joſuæ, Judicum, Regum & ſequentes. Contrà nos ſic argumentamur ex textu, pro ſolo verbo ſcripto in N. T.

Solum verbum Dei eſt unica norma omnium cultuum divinorum; nam ab eo neque ad dextram neque ad ſiniſtram deflectere licet.

Atqui verbum Dei ſcriptum eſt in N. T. ſolum verbum Dei: Ergò verbum Dei ſcriptum eſt unica norma omnium cultuum divinorum in N. T.

Probatur Minor: quia verbum ſcriptum in N. T. non differt â Verbo â Chriſtô & Apoſtolis prædicato, juxta dicta Phil. III, 1. τὰ αὐτὰ: *Eadem vobis ſcribere me non piget, vobis autem tutum eſt.* Et ibid. IV, 9.

Hæc

Hæc cogitate, quæ & didicistis & accepistis & audistis & vidistis in me. It. 1. Joh. I, 3. 2. Cor. I, 13. *Non alia scribimus vobis, qvam qvæ legitis & cognoscitis.* Jam dicit Paulus se auditoribus suis *annuneiâsse omne consilium Dei.* Act. XX, 27. Ergò nihil restat per traditiones non scriptas â Pontifice Romano revelandum.

λύσις.

Ut autem respondeamus ad argumentum objectum notanda est I. *absurditas consequentiæ*: Nam si argumentum hoc aliqvid concluderet, seqveretur, verbum Dei scriptum prorsus non esse normam religionis sive in V. sive in N. T. II. Respondeo per distinctionem. In Majore consideratur norma religionis *qvoad essentiam.* In Minore subsumuntur normæ illius *accidentia*, qvasi verbum Dei, qvà scriptum est, fiat alia norma â verbo prolato: minimè gentium: Nam scribi & pronunciari accidunt verbo Dei pro diverso Ecclesiæ statu & cultuum divinorum incrementis. Fiunt igitur 4. termini, perinde ac si sic colligerem.

Idem est homo puer & adultus (ratione essentiæ)
At puer non est barbatus homo:
Ergo nec adultus est barbatus homo.

Nihil seqvitur. Nam progressu temporis & ætatis mutantur unius ejusdemqve subjecti accidentia. Qvapropter potest una eademqve norma religionis alio tempore præter scripturam & viva voce tradi & incrementa sua capere: alio verò tempore non potest, postqvam Canonica scriptura ad integrum & perfectum systema redacta est, & revelationes Dei imme-

diatæ dudum cessârunt. Qvare status qvæstionis inter nos & Pontificios non est hic: An verbum Dei in V. T. fuerit simul ἔγγραφον καὶ ἄγραφον: sed an in N. T. sit ἔγγραφον tantùm. Nos affirmamus, qvia revelationes Dei immediatæ jam dudum finem suum assecutæ sunt.

TERTIA QVÆSTIO.

An ex S. scriptura verus sensus elici & depromi possit?

Negant & hoc nostri Jesuitæ impudentissimè, dum ita sophisticantur: Qvod est causa litium & hæresium, ex eo neqvit verus aliqvis sensus depromi: aliàs refutaret potius hæreses:

At S. scriptura est causa litium & hæresium: qvia nullus est hæreticus, qvi non incrustet errores suos autoritate verbi scripti.

Ergò ex S. scriptura neqvit verus aliqvis sensus depromi: Et per conseqvens provocandum est ad Cortynam Phœbi Romani, ut ipse suâ plusqvam prætoriâ autoritate sensum scripturæ pandat & in apricum proferat.

Contrariam verò sententiam amplecti nos jubet textus noster, unde sic argumentamur:

I. Argumentum.

Norma fidei, qvæ ad observationem obligat omnes homines, & summos in Ecclesia viros, potest verum sensum ex se depromere:

Sed S. scriptura (qvam textus volumen vel scriptum legis nominat) est talis norma. E. potest verum sensum ex se depromere.

Ma-

Majorem probo: qvia si summi in Ecclesia viri (intelligo Prophetas, sacerdotes & alios Ecclesiarum præsides) verum externæ normæ sensum ex suis cordibus depromerent, haberent certiorem normam in se, qvàm in scripto verbo: qvinimò ipsi non accommodarent se ad scripturam, sed hæc accommodaretur ad illos: ergo ipsi qvoqve non obligarentur ad hanc, sed hæc ad illos. Minor probatur: Qvia h. l. obligat Deus Josuam suum vicarium, insignem Ecclesiæ tum temporis præfectum, ad legis scriptæ observationem, v. 7. & sacerdotes Malach. II, 7. Num. V, 30. qvin omnes Israëlitas & nos universos Deut. XXVIII, 58. Joh. V, 39.

II. Argumentum.

In qvocunqve libro nobis meditandum est dies noctesqve, ex eo peti potest verus sensus: nam omnis meditatio instituitur certi alicujus sensus eruendi & eliciendi causa: qvo fine sublato frustrà suscipitur omnis meditatio. Sed in libro scriptæ legis nobis est meditandum dies noctesqve, ita mandante JEHOVA. v. 8. nostri Textus. E. ex libro scriptæ legis peti potest verus sensus.

Huc referri debent etiam testimonia Patrum, ex qvorum numero Origenes inprimis sacram scripturam hisce aureis verbis commendat super caput 23. tractatu 25. *Juramentum intelligendum est omne testimonium scripturarum, qvod profertur ad confirmationem & colligationem nostri verbi, qvod loqvimur: Ut sit qvidem templum gloriæ Dei, omnis scriptura divinitus inspirata, aurum autem positus sensus in ea. De-*

bemus ergò ad testimonium omnium verborum, qvæ proferimus in doctrinâ, proferre sensum scripturæ, tanqvàm confirmantem qvem exponimus sensum. Sicut enim omne aurum, qvodqvod fuerit extra templum, non est sanctificatum: sic omnis sensus, qvi fuerit extra divinam scripturam, qvamvis admirabilis videatur qvibusdam, non est sanctus, qvia non continetur â sensu scripturæ, qvæ solet eum solum sensum sanctificare, qvem habet in se, sicut templum proprium aurum. Non ergò debemus ad confirmandam doctrinam nostram nostros proprios intellectus jurare & tanqvàm testimonia assumere, qvos unusqvisqve nostrum intelligit, & secundum veritatem existimat esse, (arrigite aures Romani scorti amasii) ni ostenderit, eos sanctos esse ex eo, qvod in scripturis continentur divinis, tanqvàm in templis qvibusdam Dei. Stulti ergò & cæci omnes, qvi non cognoscunt, qvoniam templum i. e. lectio scripturarum magnum & venerabilem facit sensum, sicuti aurum sacratum. Hactenus Origenes.

Hieronymus in Matth. c. X. ita scribit: *Prudens lector scripturæ, cave semper superstitiosam intelligentiam: ut non tuo sensui attemperes scripturas: sed scripturis jungas sensum tuum, ut intelligas, qvid sequatur.*

His ita præmissis, negamus objectionis Minorem. Scriptura non est causa litium & hæresium. Dicit enim Hieronymus l. 1. de Trinitate: *Sanctis divinorum librorum autoritatibus nullo modo qvispiam rectè tribuerit tàm multos & varios errores hæreticorum, cum omnes ex eisdem falsas atqve fallaces opiniones suas conentur defendere.* Qvæ ergò hæresium

cau-

causa per se? dolus diaboli mendacis illius & ἀνθρωποκτόνου, de qvo Athanasius disputat. 1. contra Arrianos p. 113. scribit: *Cùm diaboli nomen odiosum sit, prætendit ipse nomen salvatoris honestissimum*: καὶ λέγει μὲν τὰ ῥήματα, κλέπτει δὲ τὴν διάνοιαν τὴν ἀληθῆ, *verba qvidem dicit, suffuratur autem verum sensum.* Sunt etiam in culpa improbæ mentis homines, de qvibus id dici potest, qvod idem Athanasius in epistola de synodis Arimini & Seleuciæ, de Manichæis pronunciat: οὐχ αἱ γραφαὶ γεγόνασιν αὐτοῖς αἴτιαι, ἀλλ' ἡ σφῶν αὐτῶν κακοφροσύνη, *non scripturæ fuerunt ipsis causæ, sed sui ipsorum mens perversa.*

Theophylactus in cap. 16. Rom: *Omnes hæreses*, inqvit, *inde nascuntur, nimirum qvod earum autores affectibus suis & ventri indulgent*: vel ut super 1. Cor. XI. loqvitur: *Cùm qvod sibi visum fuerit, producit qvisqve.* Lege August. in Joan. tract. 18.

Talem scripturæ depravationem & propriam interpretationem vocat Petrus ἰδίαν ἐπίλυσιν *propriam expositionem* 1. cap. I, 20.

Athanasius ἴδιον νοῦν: it. ἰδίαν ἐπίνοιαν: sive τὸ παρὰ τὰς γραφὰς φρονεῖν, *sentire, qvæ â scriptura sunt aliena.*

LOCI THEOLOGICI.

I.

DE VERBO DEI & S. SCRIPTURA.

I. Locus specialior. *Verbi divini finis est non* θεωρία, *sed* πρᾶξις, *non nuda notitia sed operatio, ut exerceamus fidem & novam obedientiam, vel bonam conscientiam habere studeamus.* 1. Tim. I, 18. 19. Nec

enim Deus Josuam jubet legem omnem duntaxat scire, sed potius custodire & facere. Hinc Rom. II, 13. de Decalogo pronunciat Paulus: *Non auditores legis justi sunt apud Deum, sed factores.* De Evangelio vero legimus Joh. XX, 31. *Hæc scripta sunt, ut credatis, qvia Jesus est Christus Filius Dei & ut credentes vitam habeatis in nomine ejus.*

II. *Mandato Dei obligamur omnes, ad obedientiam præstandam universo ejus verbo usqve adeo, ut qvi partem legis transgreditur, omnium reus sit.* Jac. II, 10. Ideòqve nemo potest sacro Decalogo in hac infirmitate satisfacere. Qvæ tamen imperfectio non liberat nos ab obedientia, sed impellit potius spiritu contritos ad qværendum satisfactorem Christum, qvi est finis legis ad justiciam omni credenti. Rom. X, 4. Christus est τέλος. Evangelium qvod attinet, cohærent omnes articuli fidei tam arctis nexibus, ut unius inficiatio sit omnium abnegatio. Qvare Deo juvante obnixè nobis laborandum est, ut totum corpus Doctrinæ Christianæ sartum tectumqve conservemus: hoc enim sensu jubet nos Deus omnem legem custodire & facere.

III. Locus: *Verbum Dei segregandum est ab omnibus traditionibus humanis, qvibus frustrà colitur* Matth. XV, 9. Es. XXIX, 13. Qvid enim aliud est, â lege præscripta nec ad dextram, nec ad sinistram declinare, qvàm eam pro sola & unica veritatis divinæ norma agnoscere, nec extra illius limites in negotio æternæ salutis uspiam evagari? Eodem loqvendi modo utitur Deus Deut. V, 32. & XVII, 11. & 20. Jos. XXIII, 6. Cui locutioni æqvipollet, quæ legi-

tur

tur Deut. IV, 2. & XII, 32. Prov. XXX, 5. *Non addetis ad verbum, qvod vobis loqvor, nec auferetis ex eo: Custodite mandata Dei vestri, qvæ ego præcipio vobis.*

IV. *Verbum Dei est regula prudenter agendi in quolibet divinitus demandato munere.* Aperit enim & præscribit unicuiqve in sua vocatione, qvæ sint vera illa opera, qvibus Deus favere velit: ea qvippe omnia sunt, qvæ ex fide in Christum proficiscuntur: de qvibus in Philosophorum Ethicis libellis altum est silentium. Qvapropter si Alphonsus Rex Arragoniæ, libros gentium lectissimos, tanqvam optimos suos consiliarios laudavit, & ad res prudenter gerendas adhibuit: multò rectius poterit sacra scriptura id laudis sibi vendicare, qvemadmodum David dicit Ps. CXVIII, 24 *Testimonia tua sunt gaudium meum, & consilium meum justificationes tuæ.*

V. Locus specialis: *Verbum Dei non est segniter & ὡς ἐπιπολαίως quasi in superficie tractandum, sed exercendum est, cùm semper, quantum fieri potest, tùm fideliter, tàm ore, à quo non debet recedere, quàm corde, quod ab ejus meditatione nunquam vacare decet.*

VI. *Sacra scriptura prædita est certo sensu, in verbis & phrasibus reposito, qui piis ac religiosis meditationibus, Spiritus S. gratia porrigente, inde ad salutem animæ hauriri & depromi potest, misso pontificii pectoris scrutinio, penè dixissem, meretricio gremio.*

VII. *Quæ secundum verbi divini præscriptam normam instituuntur opera, felicem ac prosperum sortiuntur eventum*: dicit enim Deus, *Tunc prosperam facies viam tuam.* Huic promissioni experientia sæpè videtur reclamare, qvoties secundùm verbi tenorem opti-

optimè facta pessimè cadunt. Ut cum fidelis concionator non assequitur in omnibus auditoribus salutarem pœnitentiæ fructum. Verùm sciendum est, hoc accidere non ex parte ministri vel causæ instrumentalis rectè agentis, multò verò minus ex defectu divinæ veritatis; sed ex parte subjecti malè dispositi; cum nimirum auditor sua malitia occœcatus motibus Spiritus S. contumaciter resistit. Idem sit de similibus casibus judicium.

VIII. *Verbum Dei, si modò verâ fide apprehenditur, aufert è medio omnem metum, contrà reddit nos ad agendum fortes & animosos, promittendo auxilium præsentissimi Numinis, in omnibus vocationis operibus.* Verba textus: *Ego præcipio, noli metuere.* Hinc â Davide appellatur scutum & clypeus. Ps. XC, 9. Et â Salomone arx munita Prov. XVIII, 10.

LOCI POLITICI.

I.

DE AUTORITATE.

Colligimus ex hoc textu, tria esse, qvæ magistratibus autoritatem ad regendos homines necessariam conciliant. I. est *legitima vocatio*, qvæ semper conjuncta est cum divini Numinis præsentia, qvâ terrentur subditi, ne superiores contemnant, sed eos potius amore & observantia proseqvantur. Nam eos inprimis colimus, qvos ex felici consiliorum successu divino favore adjuvari deprehendimus. Atqve hoc vult textus v. 9. *Tecum est Dominus.* II. *Pietas & probitas*, qvæ nihil aliud est, qvàm cum sacris legibus con-

conformitas, qvâ qvò qvis insignior erit, eò plures inveniet suorum donorum admiratores. Ita Joseph, Moses, Josua, David, Salomon &c. autoritate suâ ingentem hominum multitudinem coërcuerunt: At si qvi ex iis ad scelera deflexerunt, tantum sui contemtum pepererunt ipsi, ut ne â filiis qvidem audirentur. Intuemini Davidem. Rectè igitur Cicero lib. de Senectute: *Non cani, non rugæ repentè autoritatem afferre possunt, sed honestè acta superior ætas fructus capit autoritatis extremos.* III. Est *prudentia*, cujus moderatrix & magistra est lex Dei, qvæ etiam commendatur regibus Deut. XVII, 18. hinc Imperatores in codice Justinianeo lib. 1. tit. 17. leg. 4. *de autoritate juris* (inqviunt) *nostra pendet autoritas.*

II.
DE VERA FORTITUDINE.

Vera fortitudo moderanda ac gubernanda est verbo Dei, ne animi infracti vir suo arbitriô instar rapidi torrentis feratur, sed omnes actiones suas, omniaqve consilia legis divinæ modulo metiatur. Qvare jubet Deus Josuam fortem esse, non ut qvodlibet faciat, sed ut custodiat omnem legem à Mose præceptam. v. 7. Qvod si animus ad atrox aliqvod facinus committendum impellat, fortitudinis laude efferri non debet: ut, cum Theoxena Poridis regis conjux metu tyranni, ipsam perseqventis, se cum marito in mare præcipitem agit; aut cum Lucretia casta se confodit ipsa mucrone. Non est hoc fortitudo, sed potiùs enormis animi abjectio: pugnat enim cum qvinto præce-

pto: *Non occides.* Hinc Augustin l. 1. de civit: Dei c. 18. de vera fortitudine sapienter affirmat, *eam potiùs qvælibet mala tolerare, qvàm malo consentire.* Et addit: *Cur homo, qvi mali nihil facit, sibi male faciat, & seipsum interficiendo hominem interficiat innocentem: ne alium patiatur nocentem, atqve in se perpetret peccatum proprium, ne in eo perpetretur proprium?* Sic Plutarchus ex Menandro dicit: *Non esse boni ac fortis viri dicere: Hoc non patiar: Esse verò ejus dicere: Hoc non faciam.* Qvare Salomon commendat fortitudinem tanqvam viæ Domini i. e. legis divinæ fructum, cum inqvit c. XX, 29. *Fortitudo simplicis via Domini & pavor his, qvi operantur malum.*

III.

DE ACTIONUM SUCCESSU INFELICI.

Qvod actiones in Repub. sæpè infeliciter succedunt, ejus causam â contrario argumentando ex textu, potissimam esse colligimus, â verbo Dei exorbitationem: cùm Ethnici culpam præcipuè in fortunæ inconstantiam transferant.

IV.

DE IMPERIALI POTESTATE.

Potestas magistratus non est ἀνυπεύθυνος vel absoluta, ita ut gubernatoribus liceat præ cœca libidine qvidvis moliri, sed è sacris legibus limitata & restricta. Hunc enim in finem commendat Deus Josuæ volumen legis. Neqve aliud sentiunt prudentiores Ethnici,

ci, qvamvis legis Mosaicæ maximam partem ignari, ut apparet ex hoc Aristotelis dicto 4. Pol. 4. numero 35. ὅπου δὲ μὴ νόμοι ἄρχουσιν, οὐκ ἔστι πολιτεία: *ubi enim leges non dominantur, non est Politia vel Respublica.* Et lib. 2. c. 8. vocat legem ἀσφαλῆ κανόνα *certam regulam*, eamqve humanæ voluntati opponit. Huc refero, qvod Imperatores dicunt l. 1. codicis Justiniani ff. 17. L. 4. *digna vox est majestate regnantis legibus alligatum se profiteri.* Concludunt postea: Oraculo præsentis edicti, *qvod nobis licere non patimur, aliis indicamus.* Vide etiam Platonem libr. 6. de legibus.

V.

Magistratus politici debent esse φύλακες τοῦ νόμου *custodes & executores legis divinæ*, non tantùm contra omnem ἀταξίαν in disciplina externa evenientem, sed etiam contra impios & gentiles cultus. Hoc ut faciant, admonentur Ps. XXIII, 9. XLVI, 10. & alibi.

Πρᾶξις *eloqventiæ Theologicæ ad imitationem Textus.*

Sicut nulla ars sine assidua tractatione & usu percipi potest: Ita ad comparandam eloqventiam Theologicam styli exercitium maximè necessarium est: haud secus ac pingendi studiosi (ut cum Theone loqvar) parum proficiunt, si vel Apellis, vel Antiphili, vel alterius effigiem summâ arte elaboratam diu multumqve inspiciant & admirentur, nec tamen unqvam manum operi admoveant, ut adhibita operâ similem imaginem penicillo exprimant. Qvapropter studiosi

sacræ eloqventiæ ad imitationem scripturæ conentur freqventes orationes suo Marte componere domi, & S. Sanctum optimum dicendi artificem obnixo studio imitari. Qvam ad rem seqventi manuductione, qvi volunt, uti poterunt.

EXEMPLUM I. ORATIONIS IN GENERE Deliberativo dispositæ ad imitationem.

Exordium peti potest *ab allegoria*: qva vita hæc terrena deserto sterili, in qvo Judæi 40. annos peregrinati sunt; Cœlestis verò conversatio terræ benedictionis omnium rerum copia affluenti, comparetur. Fiat ἀπόδοσις. Sicut Judæi, non nisi per Jordanis transitum terram meliorem ingredi poterant: Ita neminem credentium nisi per mortem temporalem ad plenum cœlestis beatitudinis fructum pervenire posse.

Propositio προτρεπτικὴ: *Ut transitum istum animo patienti & magno, qvandocunqve Deo visum fuerit, suscipiamus.*

I. Confirmatio ab honesto. Qvia non casu in hanc viam incedimus, sed Deo nobis horam transeundi definiente ac demandante: *Surge & transi* v. 2. Sicut dicit Esa. XXXVIII, 1. *Dispone domui tuæ, qvia morieris & non vives.* Deut. XXXIV, 15. Mortuus est Moses jubente Domino. Et Ecclesiasticus cap. XLI, 5. 6.

II. Sumatur *ab exemplô omnium sanctorum, qvos per hunc transitum præmisimus*: Sumus enim omnes in

in his terris advenæ & peregrini, sicut patres nostri, ut cum Davide loqvar Ps. XXXVIII, 13.

III. ab Utili. Mors non potest absorbere nos suis fluctibus, sed necesse est, eam nobis instar Jordanis siccum transitum præbere, qvin imò tanqvam cetum Jonæ ad littus æternæ gloriæ nos evomere. Nec enim transimus â morte in nihilum, sed in vitam Joh. V, 24.

IV. â facili. Qvia promittit Deus, se nobiscum futurum etiam in valle umbræ mortis Ps. XXII, 4. sicut fuit cum Mose & Josua: nec unqvam nos derelicturum esse. Deut. XXXI, 8. 3. Reg. VI, 13. Hebr. XIII, 5. Solet enim *tribulatis esse proximus* Ps. XXXIII, 19.

V. â tuto: 1. Qvia juravit Deus nobis interposito certissimo Amen, se terram viventium nobis daturum. Joh. V, 4. 2. Qvia verbum Dei est regula prudenter agendi in omnibus, in primis verò in gravissimo illo mortis duello, ita nos præmunit & roborat, ne ejus amaritudinem degustare cogamur. Joh. VIII, 2. Potest hîc fieri digressio in commendationem scripturæ amplissimam.

Conclusio urgeat tolerantiam & moveat affectus, opponendo doloribus mortis secuturam melioris vitæ felicitatem.

II. EXEMPLUM IN EODEM GENERE.

Propositio: Sacra scriptura debet ab omnibus salutis suæ studiosis in summo precio maximoqve censu haberi.

Confirmationis ratio I. petitur *ab honestô*: qvia est lex Dei per Mosen revelata v. 7. Potest hîc Comparatio institui legum divinarum & humanarum.

II. *ab Utili*: Qvia prudenter regit actiones nostras, easqve ut prospere succedant, mirâ virtute adjuvat: qvin imò, qvod omnium præcipuum est, docet cultus Deo placentes instituere & præsentissimam animæ medicinam facere. Ideoqve toties nobis commendatur Deut. XXXI, 11. Luc. XVI, 29. 1. Tim. IV, 16. Colos. III, 16. 2. Pet. I, 19. Rectè igitur Chrysostomus scribit: πάντων κακῶν αἴτιον, τὸ μὴ ἀναγινώσκειν βιβλία ψυχῆς φάρμακα.

III. *â facili*: Modò exerceatur sacra scriptura, primò ore, legendo. 2. corde, meditando. 3. opere, faciendo.

Atqve hæc χειραγωγίας ἕνεκα dicta sufficiant; fusiorem tractationem commendo privatæ cujusqve auditoris industriæ.

DE II. PARTE,

CAPITIS PRIMI.

V. 10. Præcepit Josua principibus) Hæc est altera pars primi capitis, ab initio παρασκευαστικὴ: Continet enim mandatum præparandi res ad Jordanis transitum & reliqvam commigrationem necessa-

cessarias, cujusmodi erant alimentorum & armorum apparatus. Mandati objectum duplex est: I. generale, spectans populum, per suos principes de præparandis cibariis admonendum. II. Speciale, pertinens ad Rubenitas, Gaditas & dimidiam tribum Manasse, ut auxiliaribus copiis fratribus suis pro virili succurrerent.

Præcepitqve principibus populi) Hebraicè שׁטר exponitur Græcè hoc in loco γραμματεὺς (Feldschreiber) & significat non tantùm principem ac illustrem personam, sed etiam qvemlibet præfectum sive exactorem, ut planum est ex Ex. V, 6. Ita fit, ut nomen principum h. l. significet vel κυβερνητικὸν, vel ὑπηρετητικὸν. Nam si de illustribus personis accipitur, fuerunt principes populi *viri strenui propter Dei timorem, veritatem & avaritiæ fugam, ex omni plebe selecti, tribuni, centuriones, qvinqvagenarii & decani.* Exod. XVIII, 21. qvorum judicio litigia componebantur, consilia graviora regebantur, vexilla castrorum erigebantur. Num. II, 2. & 16. 2. Dicuntur etiam *principes tribuum ac domorum nobilissimi.* Num. I, 4. & 16. Deut. I, 15. Vel qvod historiæ convenientius est, possunt per hosce principes intelligi caduceatores, qvibus & proclamandi & instruendæ aciei munus vendicatur. Deut. XX, 5. & 9. Hebræi & Chaldæi *exactores* vocant, qvi pro judicum sententiis delinqventes loris affligere solebant, qvi Plauto *lorarii* dicuntur Latini appellant vocabulo generali *Apparitores*, propterea qvod magistratui appareant & præstò sint ad obseqvium, cujusmodi sunt *scribæ, viatores, janitores* & id genus ministri.

Per

Per media castrorum) Respicit autor ad castrametationem Judæorum, cujus, teste Josepho, talis fuit ratio: Tabernaculum collocabatur in castrorum omnium gyro medium, ut legitur Num. II, 2. Et ad qvaterna latera ternas tribus habebat, præbens intra se & castra hospitium sacerdotibus ac Levitis. Erant præterea singularium artium artifices ordine constituti & in stationes suas divisi, ut in civitate per medias plateas præconibus transire liceret. Atq; hoc sibi volunt hæc verba: *Transite per medium castrorum.*

Qvoniam transibitis) Additur mandato ἀιλιολογία â *fine gemino.* Unus est *intermedius*, nempe ipsa Jordanis transitio, qvæ cum cogitationibus de apparitorio victu suscipiendis conjungi non poterat. Alter finis est *ultimus*, nimirum possessio terræ promissæ.

Intrabitis) Non dicit *expugnabitis.* Ratio est, qvia promissionis divinæ impletio sita erat non in *hostium internecione*, sed in *vacantis sedis possessione.* II. Voluit Deus Israëlitis præcidere omnem (ματαιοδοξίας) κενοδοξίας causam, ut intelligerent, se non suo Marte ejus terræ dominium sibi acqvisivisse, sed singulari Dei gratia ad intrandum tantùm admissos esse. Fuit enim *Dei*, profligare gentes: sed *Israëlitarum* fuit vacuam terram intrare.

I. QVÆSTIO DE CIBARIIS *præparandis.*

Cibaria dicuntur Hebraicè צֵדָה â צוּד *venatus est:*

Qvo

Qvo nomine significatur non tantùm *cibus ex venatione captus*, sed & *qvilibet victus*. Ac de hoc non immeritò qværi potest, cujusmodi cibaria textus innuere velit.

I. Putet aliqvis, textum loqvi de Manna, partim, qvod & ipsa parari, h. e. colligi sive congregari jubeatur Exod. XVI, 5. & 18. partim, qvod â nonnullis molâ fracta & cocta legatur Num. XI, 8.

Huic sententiæ adversatur 1. qvod Josua præcipit parare cibaria ad triduum: sed manna non durabat, nisi diem unum, vel interveniente Sabbatho biduum, excepto pane, qvo repletus Gomor, ad perpetuam ejus miraculi memoriam coram Domino reponebatur Exod. XVI, 22. & 32.

II. Pluvia Mannæ non cessavit antè, qvàm populus & Jordanem transiisset & in terra Canaan novas fruges messuisset: Qvare non videtur hîc Mannæ præparatio præcipi. Proinde rectius intelligimus hîc nomine cibariorum vulgarem escam. Licebat enim Judæis præter miraculosum illum cibum Mannæ, etiam carne & aliis cibis vesci, ut apparet ex Deut. II. ubi transeuntibus terram Moabitarum & Ammonitarum DEus tale præceptum proponit v. 8 *Cibos emetis ab eis pecunia & comedetis: aqvam emtam haurietis & bibetis.* Fit ibidem mentio v. 33. qvomodo interfecto Sehon rege Amorrhæorum, omniqve populo jumenta aliaqve spolia secum abstulerint. Addo & hoc, qvod Ruben & Gad cum dimidia tribu Manasse ex deserto innumeram pecorum & armentorum multitudinem secum adduxerant, Num XXXI, 9.

Ita & carnibus & frumentis ad parandum commeatum abundare potuerunt.

II. QVÆSTIO:

An Israëlitæ post diem tertium transierint Jordanem?

Hoc non videtur cum historica veritate consentire. Nam exploratores pernoctant apud Rahab meretricem Jerichunticam: hic dilabitur dies. Qværente autem ipsos rege urbis, fugiunt conservandæ vitæ gratia in montana, ibiqve per triduum latitant. Habes 4. dies. Illis verò revertentibus, movet Josua castra ad Jordanem, ac tridui moram ibi facit. Emergunt inde 7. dies. Qvibus delapsis circiter Israëlitæ Jordanem. Hic nodus multis indissolubilis visus est, qvorum propositis prius sententiis, arridebit nobis ea, qvæ ad veritatem proximè accesserit, salvis aliorum judiciis.

I. *Sententia*: Qvidam hoc triduum absolvi putant ipso ad Jordanem accessu, posthabitis tribus diebus transitum Jordanis præcedentibus. Hanc glossam non admittit textus: qvia triduo illi immediatè annectitur transitus. Non dicit: *Post triduum movebitis castra ad Jordanem*, sed *transibitis Jordanem*.

II. Augustinus in qvæstionibus super Josuam l. 6. c. 2. affert hanc responsionem: qvod *Josua ex humana dispositione 3. dies nominaverit: Cæteros divina dispositione implente. Potuit enim hoc fieri, si exploratores celeriter revertissent.* Et addit: *Nec incredibile debet*

bet videri, etiam illos, cum qvibus DEus loqvebatur, aliqvid ex humana dispositione agere voluisse, in qva sibi Deum tamen fiderent esse rectorem, eorumq; ex illius, à qvo regebantur, prudentiâ consilia fuisse mutata. Nam & Moses ipse utiqve tanqvam homo putaverat esse faciendum, ut causas populi sic audiret, qvemadmodum & sibi & illis onus intolerabile subeundo prodesse non posset: ejusqve dispositio divinitus, & hoc ipsum socero suggerente & monente, atqve hanc admonitionem DEo approbante, mutata est. Hæc Augustinus prolixè qvidem, sed nodum minimè solvit. 1. Qvia Josua jubet hæc populo nunciari ex mandato Dei, ex cujus contubernio jam redierat primulùm. 2. Qvia addendo aliqvid verbo divino, declinâsset â Lege DEi, contra expressum interdictum vers. 7. 3. Nemo Josuæ verba corrigit, sicut Jetro, & Deus ipse Nathanis humanum consilium emendat 2. Reg. VII, 4. Ex. XVIII, 17. Qvin imò universus populus, qvæ nunciata fuerant â Josua, approbat omnia hoc capite v. 16. 4. Si Josua in initio principatus errâsset, magnam fecisset autoritatis suæ jacturam.

III. *Sententia*: Id ipsum responderi potest iis, qvi Josuam ideò errasse putant, qvod non audivisset eâ de re Eleazarum sacerdotem, prout jussus fuerat, Num. XXVII, 21. Verùm, qvod majus est, audierat ipsum Deum.

IV. *Opinio*. Sunt etiam, qvi verborum ordinem planè pervertunt, referentes 3. dies ad præcedentia, qvasi dixisset Josua; *Præparate vobis cibaria post terti-*

um diem: qvia transibitis Jordanem. Hæc est manifesta textus depravatio.

Opinio vera.

Nostra verò opinio cum eruditioribus est hæc, qvod textus καθ' ὕστερον πρότερον sive προθύστερον anticipetur: qvæ figura aliàs scripturæ non est insolens & adhibetur vitandæ repetitionis causa, ne propter aliarum narrationum interventum oratio interrumpatur, ut ex hoc loco manifestum est. Nam cum Josua vellet duplex mandatum DEi proponere, unum populo universo; alterum Rubenitis, Gaditis & dimidiæ tribui Manassæ: atqve hoc exploratorum ablegationi cum tridui mentione postponi, illud præponi ex naturalis ordinis ratione debuisset: ipse utrumqve præponit, & qvod maturius dixerat, suo loco restituit c. 3. v. 2. secutus ordinem potius *artis* qvàm *naturæ*. Hæc ad intelligendam historiam necessariò admonenda videbantur.

LOCI THEOLOGICI.

I. Est de *vera fide & obedientia*, cujus insigne exemplum spectamus in Josua, qvi nullis sese impedimentis â voluntatis divinæ obseqvio abduci patitur. Versatur illi ob oculos multitudo ac potentia hostium formidabilis, nec non contumacia populi intolerabilis: attamen fide firma omnia repagula frangit, semper præponens divinarum promissionum ἀψευδίαν fluctuantibus cordis sui cogitationibus. Nam *cor homi-*

minis pravum & inscrutabile est. Jer. XVII, 9. Corrigitur autem & fulcitur intuitu veri verbi divini. Sunt itaqve duo, qvæ obedientiam Josuæ commendant, *unum* est causa προηγουμένη, nempè *fidei sinceritas*, qvæ tanqvam stimulo adhibito ad verbi obseqvium impellit & ab omni periculi metu animum liberat. *Alterum* est *operis alacritas*. Nam ut Josua sine omni mora populum de mandato divino certiorem reddit: Ita & nos, qvæ vocationis nostræ sunt, summo studio maturare debemus, ne procrastinando agendi occasionem amittamus.

II. DE USU LEGITIMORUM Mediorum.

Propter divinas promissiones non sunt contemnenda media. Nam qvanqvam DEus promiserat terram benedictam Israëlitis: tamen jubet eos nihilominus præparare cibaria. Hunc in modum promissiones omnes mediorum honestorum usum includunt. Vult te DEus nutrire, sed laborantem & orantem: vult te salvare, sed in Christum credentem: vult ægrotantem valetudini restituere, si medici curationem adhibeat. Licèt autem nos ad media obliget, ad ea tamen minimè se ipse obligari patitur, qvia liberrimus est creaturæ suæ moderator & dominator.

Landesbibliothek Oldenburg

III. DE Αὐταρκείᾳ τῆς κτητικῆς, *de modo comparandi vitæ necessaria.*

Ut Israëlitæ non jubentur magnas divitias colligere, sed cibum præparare ad instantem profectionem sufficientem: ita nos contenti simus mediocri victu, & viaticâ cœnâ (Valet-Essen Plautus) tanqvam brevi per Jordanem mortis ex hac vita abituri: cujus nos Paulus admonet. 1. Tim. VI, 8. *Habentes alimenta & qvibus tegamur, his contenti simus.*

LOCI POLITICI.

Inspeximus vers. 7. & 8. fontem omnis prudentiæ, divinæ legis observationem: nunc proponuntur nobis duo officia Magistratus Politici. *Unum* est, ne sit ad res gerendas vel nimium tardus vel præceps, sed inter cunctationem & festinationem mediam viam teneat, juxta illud Poëtæ Alciati,

Maturare jubent properè, & cunctarier omnes:
Ne nimium præceps, non mora longa nimis.

Notum etiam est illud ab Augusto freqventer usurpatum proverbium: σπεῦδε βραδέως. Et ab Alexandro Magno: μηδὲν ἀναβαλλόμενος. Noster Josua non ruit præceps trans Jordanem, sed expectat divinam instructionem: mox alacri animo ad divini mandati executionem sese accingit. Hoc est, qvod Sallustius cuiqve Imperatori reliqvit imitandum: *Anteqvam incipias, consulto, ubi consulueris, maturè facto opus est.* Nec non Bias apud Laërtium: βραδέως ἐγχειρεῖν τοῖς πρατ-

πρατ]ομένοις, ὅτ' ἂν ἕλῃ, βεβαίως τηρῦντα διαμένειν δεῖ, *oportet lentè aggredi agenda, atsi elegeris, firmiter in iis servandis permanendum est.*

Alterum officium magistratûs Politici est, ut subditis de victu & alimento sufficienter prospiciat, sicuti Josua hîc facit, & Joseph in Ægypto, nec patiatur civitatem vel αἰσχροκερδείαις avarorum: vel luxu ac mollitie ignavorum fucorum, qvi non nisi ad fruges consumendas nati sibi videntur, rebus omnibus expilari: Sed exercendæ sunt εὐτεκνίαι & omnis generis honesta studia, qvorum diligenti culturâ victus & aliæ res civibus necessariæ, DEo benedicente, cumulatissimè acqviruntur, juxta illud Proverb. XIV, 23. *In omni labore erit abundantia.*

Explicatio Textus.

v. 12. *Rubenitis & Gadditis*) Hoc est alterum divini mandati objectum, sed speciale, pertinens ad 2. tribus & dimidiam. Constituit autem Josua duplex personarum genus: aliud ἀπόλεμον *militiæ expers*, sive ἄνοπλον *inerme*: aliud verò ἐνπόλεμον *militiæ gnarum*, vel ἔνοπλον *armatum*: illud jubet manere cis Jordanem: hoc vero pro fratribus pugnare.

v. 13. *Mementote*) Est Exordium εὐνοητικὸν καὶ προσεκτικὸν: Nam benevolentiam & attentionem captat ab autoritate mandati Mosaici, siqvidem Rubenitæ & Gadditæ Moysi sanctè promiserant, se non prius arma deposituros, qvàm iisdem fixam ac fir-

firmam sedem fratribus suis peperissent. Vide Num. XXXII, 20.

Distributa autem fuit terra cis-Jordanina Rubenitis & Gadditis ideò, qvod ad alenda eorum pecora pascuis abundaret optimis: hisce adjunxit Moses dimidiam tribum Manasse, procul dubio ad conservandam præclari facinoris memoriam, qvod filii Machir, filii Manasse, Amorrhæorum regem inde ejecissent, ibid. v. 39. ut isthoc bellicæ virtutis præmium aliorum animos ad prælia acueret.

JEHOVA Dii tui vel Dominus Deus) Adhibet autor πίστιν vel argumentum probationis. I. Sumitur ἐκ τοῦ δικαίου *ab æqvo & honesto:* Vobis prima data est terræ optio: Ergò grati DEo sitis, dilectionis studio fratres vestros in occupanda reliqva terra adjuvantes.

Præterea res indigna foret & charitati fraternæ adversaria, vos citra pulverem domi sedere, aliis cum vitæ periculo communem patriæ salutem propugnantibus v. 13. II. Sumitur â *duplici commodo* redundaturo vel in fratres, & est sedis acqvisitio pro reliqvis: verba textus: *Possideant ipsi qvoqve terram:* vel in ipsos προπόμπους & προμάχους ut est terræ occupatæ retentio; verba textus: *Habitabitis in ea,*

v. 14. *Uxores vestræ*) Hebræum טף significat pubem vel juventam tàm masculini, qvàm fœminini sexus. Verisimile est, etiam senes qvi annum 60. excesserant, huic turbæ annumeratos esse. *Ratio*

1. qvia

1. qvia Josua jubet transire Jordanem non nisi armatos, fortes & ad arma capessenda idoneos, cujusmodi erant, qvorum ætas ab anno 20. censebatur, ut habetur Num. I, 3. *Ratio* 2. Qvia relinqvendi videbantur domi, qvi agriculturam cum fœminis & junioribus exercerent, & politiæ absentibus fortibus curam haberent.

Jumenta) Hebræum Miknæh מִקְנֶה significat *possessionem cujuscunqve rei*: sed *specialiter* usurpatum pro *pecore* Gen. XIII, 2. & XXX, 28. Exod. XVII, 13. Sunt autem pecora mansveta duplicis generis: nam nata sunt vel ἕνεκεν χρήσεως *propter usum*, cujusmodi sunt, qvorum operâ ad vehendum, arandum, sive aliud agendum utimur: vel ἕνεκεν τροφῆς *propter victum*: qvæ nos pascunt lacte & carne suâ. Vide Aristotelem l. 1. Polit. c. 5. ac de posteriore genere loqvitur textus maximè.

Armati) Hebraicè חֲמֻשִׁים Chamüschim: Pagninus vertit *Qvintatus* à חָמַשׁ *qvintus fuit in ordine*: vel *accinxit se thorace pertingente ad qvintam costam*. Nam חֹמֶשׁ est pars corporis homini sub hypochondriis vel infra qvinqve costas. Sensus igitur est, *vel* qvod qvini præcesserint in acie: *vel* qvia ejusmodi thorace induti fuerint. Notandum etiam hic est, propositionem Josuæ ad hosce armatos institutam esse trimembrem. Nam jubet eos 1. transire. 2. Pugnare pro fratribus. 3. Reverti in terram sibi datam.

Ante fratres vestros.) Alium ordinem observabant in *itinere*: alium in *bello*. In *itinere* præcedebant Sacerdotes c. IV. In *bello* verò præcedebant Cis Jordanini, & qvidem ideò: 1. qvia expeditiores erant propter relictas domi uxores, filios & jumenta. 2. qvia præmia militiæ jam tum perceperant: æqvum autem est, ut qvi plus commodi sentit, is qvoqve plus oneris & periculi sustineat. 3. Qvò fratres de Cis-Jordaninorum constantia nullam dubitationem retinerent.

QVÆSTIO:

An uxores toto belli tempore â maritorum consvetudine sejunctæ fuerint?

Pro *sententia affirmativa* pugnat hæc ratio: I. Qvia Josua jubet uxores domi manere tàm diu, donec reqvies data sit fratribus;

Atqvi data est ipsis reqvies post 13. aut 14. demum annos.

Ergo tot annos jubet eas seorsim â maritis domi manere.

II. Commendatur maritorum fides, qvod longo tempore usqve in diem divisionis aut distributionis terræ non reliqverint fratres infrà c. XXII. 3. Ergò nunqvam reversi sunt intra diem illum ad uxores.

Sententam negativam roborant hæ rationes:

I. Qvia vult Paulus separationem conjugum vel po-

potius abstinentiam esse liberam i. e. κ᾽ συγνώμην fieri, non κ᾽ ἐπιταγὴν ex mandato, 1. Cor. VII, 6.

II. Qvia tàm longa ac diuturna separatio est conjuncta cum periculo incontinentia, ideoqve disvadet eam Paulus ibid. v. 5.

Sed separatio 14. annorum non fuisset omnibus libera, qvin imò potius multis impossibilis. Ergo veritati non est consentaneum, Deum tàm rigidam legem conjugibus imposuisse, aut ultrò receptam approbâsse.

III. Pugnat etiam hoc cum æqvitate, alias tribus carere uxoribus: cœteras verò easdem secum ducere, præsertim cùm illæ non pro se, sed pro fratribus pugnent, qvi si non fuerunt separati ab uxoribus suis, multò minùs cis-Jordanini separandi erant â suis.

λύσις.

Respondeo: 1. Separatio ista conjugum non intelligenda est ἁπλῶς de 14. annorum continuatione, sed κατά τι de bellorum gerendorum necessitate, cujus ea erat ratio, ut interdum certum saltem numerum virorum in aciem lacesseret, aliis vero qvietem in castris promitteret, sicuti c. VII, 4. tria millia virorum ad expugnandam urbem Hai in campum producuntur. Qvo tempore ociosis & à labore belli vacuis minimè interdicta fuit nonnulla ad uxores reversio, qvæ uno die facilè absolvi potuit: neqve enim Galgala, ubi castra fixerant, longius â Jordane distabat, ut apparet ex c. IV.

Landesbibliothek Oldenburg

QVÆSTIO II.

An Israëlitarum reqvies potuerit duabus & dimidiæ tribubus esse terminus reversionis in terram suam?

Hæc qvæstio non est de lana caprina: prodest enim ad distingvenda tempora pacis & belli, in Politia Judaica.

Negationis speciem præ se fert hoc argumentum:

Durantibus bellis nullus datur locus paci: At in populo Judaico semper durârunt bella, non tantùm sub Josua, sed etiam post, & sub judicibus, ut ex judicum historia constat: qvin imò sub regibus, Saule 1. Reg. I, 14. & Davide 2. Reg. V.

Ergò in populo Israëlitico nullus datur locus paci: & per conseq. nesciverunt duæ & dimidia tribus certum terminum reversionis suæ in terram.

Contrà præscribit & definit Josua Cis-Jordaninis hunc suppetiarum terminum, ut tàm diu pro fratribus pugnent, donec eis promissa pax divinitus contigisset v. 15.

At illi non vixerunt usqve ad ætatem Saulis & Davidis:

Ergò qvietis istius limites neqveunt in ea ætate constitui.

SO-

SOLUTIO.

R. Intelligit Josua v. 15. per qvietem non totalem hostium deletionem: neqve enim Deus gentem Cananæam unâ vice exstirpari volebat, qvo Israëlitis tentandi eorumqve constantiam probandi nunqvam deficeret occasio Judic. II, 32. Sed intelligit possessionem terræ sufficientis, qvam ubi distribuisset Josua reliqvis familiis, jubet 2½. tribus reverti in sua tabernacula Jos. XXII, 4. Opponit ergo nomen qvietis non hostium incursionibus vel secuturæ armorum tractationi: sed vagis sedibus & difficillimis peregrinationibus. Atqve de hac significatione posteriore loqvitur sententia affirmativa: de illa priore vera est sententia negativa.

Alii faciunt tres status Israëlitarum: 1. Est *peregrinantium*, finiturqve in distributione terræ Canaan, habitatione nondum facta, atqve tunc caruit reqvie. 2. Est *possidentium*, cum post distributionem terræ qvælibet familia suam sortem inhabitaret, nec amplius qvotidianis bellis dedita esset: tunc qvietem habuit. 3. Est *dominantium*: qvando tempore Solomonis de 7. Cananitarum populis superstites in Israëlitarum servitutem ita redacti sunt, ut cogerentur vel solum vertere, vel tributum solvere, vid. 2. Par VIII. Atqve hæc divisio computanda est ab initio usqve ad ætatem Salomonis & captivitatem Babylonicam.

LOCUS THEOLOGICUS.

De ministrorum verbi etiam post mortem observantia.

Qvæ verbi divini ministri DEi jussu olim nobis præceperunt, ea animis nostris ita infigere studeamus, ut ad defunctorum memoriam non secus atqve ad ipsam viventium vocem, qvàm obseqviosissimos nos præbeamus. Verba textus: *Mementote sermonis.* Sic Apostolus Hebræos monet c. XIII, 7. Inprimis verò Moses & Prophetæ, qvos DEus omnium seculorum voluit esse Doctores, etiam â serâ posteritate audiendi sunt, juxta id: *Habent Mosen & Prophetas* Luc. XVI, 31.

LOCI POLITICI.

I. DE PACE.

Et qvidem 1. de pacis autore, 2. usu, 3. dignitate.

I. Pacis autor est DEus: hic, profligatis hostibus, dat reqviem. Vide textus versum 13. Adde testimonia 3. Reg. V. 4. & VII, 56. 1. Par. XXII, 18. & 2. Par. XIV, 5.

II. Non confert nobis Deus pacem & tranqvillam terræ possessionem ideò, ut in ea nostro tantùm genio indulgeamus, vel voluptatibus ac deliciis carnis diffluamus; sed ut divinorum sermonum memoriam perpetuis pietatis exercitiis conservemus, ac communi aliorum saluti alacri studio invigilemus. Ut enim pietate ac honestate acqviritur pax: ita iisdem pabulis nutritur, secundùm illud 2. Par. 14, 7. *Eò qvod*

qva-

qvæsierimus Dominum Deum patrum nostrorum, dedit nobis pacem per circuitum.

III. Pacis dignitas apparet ex fine, qvia, ut cum Baptista Mantuano loqvar:

Pax plenum virtutis opus, pax summa laborum:
Pax belli exacti precium est, preciumq; pericli.

Hîc enim audimus, qvod finitis bellis mariti remittantur ad dilectas uxores & liberos. Verba textus: *Donec det Dominus reqviem fratribus vestris, & IVNC revertemini* &c.

II. LOCUS.

Ne Magistratus temerè mutet vel abroget laudata antecessorum suorum instituta ac mandata: sed ea potius sua autoritate & consensione confirmet, sicut Josua sermonem Mosis suis subditis in memoriam revocat. Nam legum bonarum innovationes non necessariæ vel labefactant, vel prorsus profligant Remp.

III. DE OFFICIO DUCIS BELLICI.

Dux bellicus selectum habeat talem, ut qvi infirmitate animi & corporis laborant, domi relinqvat, uxores & filios: cœteros, qvi fortes & magnanimi sunt, educat in prælium.

IV. DE OFFICIIS DISCRETI SEXUS.

Alia alii sexui conveniunt. Uxorum est, manere domi cum liberis & rem domesticam procurare: maritorum est, pro patria pugnare.

V. De

V. DE BELLO.

Et qvidem I. de belli impulsiva, II. de fine. III. de moderatione.

I. Ad arma provocare debet fortes non tantum domesticorum salus, sed etiam fratrum libertas in discrimen adducta, ut & hi juxta nos paratè & tranqvillè vivant. Idqve faciendum est non tantùm, cùm externis armis premuntur: sed etiam tunc maximè, cùm ad abnegandam fidei veritatem dolo & fraude oppugnantur. Nos certè, qvi in hisce regionibus per Dei gratiam cultus divinos in pace tractamus, decet maximè fratres nostros, qvibus vel Jesuitæ fidei bella inferunt, vel Turcæ servitutis jugum durissimum comminantur, præcedere ac pro eorum salute fortiter pugnare, donec DEus ipsis qvoqve reqviem concedat.

II. Militiæ finis est pax. Nam pax bello paratur, nec eam tueri licet, nisi cives sint ad bellum instructi, ut respondet Epaminondas cuidam malevolo apud Plutarchum.

III. Militiæ studium ita moderandum est, ne magistratus insatiabili pugnandi libidine ardeat, nec re infecta justo citiùs revertatur: sed ubi injuriam hostium â patria propulsavit, tunc liber patet ipsi ad suos reditus. Verba textus: *Et SIC revertimini.*

VI. DE JUSTITIA DISTRIBUTIVA.

Justitia est fundamentum & columna bonæ Reipub. Cumq; duplex erit commutativa & distributiva, consistit hæc in æqvalitate Geometrica, seu similitu-

tudine rationum, â diversitate personarum, actionum & conditionũ pendente. Hujus studiosissimus est Moses & Josua, dum prima belli pericula suscipere jubent eos, qvibus primitiæ promissæ terræ collatæ fuerant. Eodem pacto semper compensanda sunt civium commoda onerum & molestiarum æqvalitate, juxta communem sententiam: Τὸ ἴσον πόλεμον ὁ ποιεῖ. Gleiche Bürde bricht niemands den Hals.

VII. Tria sunt boni militis reqvisita vel officia.

I. Est *Pietas*, ut sit divini sermonis observantissimus.

II. *Magnanimitas* & robur, ut sit ad arma tractanda validissimus, verba textus: *Fortes manu.*

III. Est *Constantia* ac *tolerantia*, ut sit laborum patientissimus: Hoc enim innuit textus his verbis: *Pugnate, donec &c.*

Praxis Theologica vel exemplum imitationis disposita ad textus imitationem.

Propositio sit in genere Deliberativo, adhortatio ad Christianos, per DEi gratiam qvietam vitam degentes, ut fratribus suis vel à Pontificiis vel â Turcis, in extrema vitæ ac salutis discrimina adductis, manu militari succurrant.

Confirmationis Ratio I. sumitur ab *honesto*, vel exemplo Rubenitarum & Gadditarum, cum

dimidia tribu Manasse, qvi cœteras tribus in propulsandis & extirpandis hostibus pro virili Marte adjuvârunt, imò earum primipilares extiterunt.

II. *ab æqvo:* Iniqvum enim est & â justitia alienum, nos in pace terram possidere, nec ulla fratrum calamitate seriò affici.

III. *ab utili*: Cùm enim vis unita sit fortior se ipsâ dispersa, fieri potest, ut nostrô auxilio etiam aliis Christianis ad pacem janua aperiatur.

IV. *â metu periculi*: qvod si ipsos deseruerimus, poterimus ipsi qvoqve vix ac ne vix qvidem patriam nostram â Jesuiticis & Turcicis furoribus immunem retinere ac inhabitare.

III. PARS CAPITIS PRIMI.

v. 16. *Responderuntq;*) hæc est tertia pars ἐπαγγελτικὴ, constans promissione obedientiæ Josuæ declarandæ in omnibus, qvæ præcepit. Promissionem hanc amplificat populus 1. συγκρίσει ejus obseqvii, qvod Israëlitæ Mosi antea præstiterant; verba textus: *Sicut obedivimus &c.* 2. εὐχῇ sive voto, ut DEus Josuæ præstò sit haud secus ac olim Mosi. Verba textus: *Tantùm sit Dominus tecum.* 3. ἀρᾷ execratione rebellatorum. Verba textus: *Qui contradixerit oritur &c.* 4. παρακλήσει cohortatione ad fortitudinem. Verba textus: *Tu tantùm confortare & viriliter age.*

Ex-

Explicatio Textus.

v. 17. *Sit Dominus tuus tecum)* hæc verba duplici sensu accipi possunt: 1. possunt esse ἀφορεστικὰ, qvibus populus obediendi voluntatem & promtitudinem limitat & restringit ad DEi mandata. Nam DEus sic fuit cum Mose, ut etiam esset in ejus ore, eumq; qvid loqveretur edoceret: sicuti legimus Ex. IV, 12. Qvare populus promittit non simpliciter obedientiã, sed qvatenus is Deum secum haberet, ejusq; purum ac putum verbũ proponeret. Deinde possunt hæc verba esse εὐκτικὰ, qvibus Israëlitæ Josuæ felicem gubernationis omniumqve successum actionum divinitus comprecantur, qvemadmodùm DEus Mosen contra omnem Pharaonis sævitiam & qvoscunqve rebellatores potenter ac mirificè protexit.

v. 18. *Qvi contradixerit ori tuo)* Hebraicè יַמְרֶה hoc est *mutabit* vel *amarum reddet os tuum*, hoc est, qvi rebellaverit ori tuo: Der dir die Wort im Maul umkehret. Nam מָרָה alii (ut Försterus) vertunt, *mutavit*, alii *amaricavit* (Mercenarius). Utraqve significatio huic loco est convenientissima. Nam qvi Deo recusat obedire, duplici gravissimo crimine sese polluit. 1. Murat os divinum, arguens eum mendacii 1. Joh. V, 10. *Qvi non credit, facit Deum mendacem,* Deinde convertit verbum ejus, qvod cuiqve morigero omni melle dulcius est (Ps. XVIII, 11.) in amaritudinem & nauseam animæ suæ. Scholastici notant hoc in loco duplex rebellio-

nis vel in obedientiæ genus. Unum est externum & omnibus manifestum, cum præcipienti DEo expressis verbis contradicimus, sicuti Judæi non verentur ori Prophetæ oggannire: *Desperatum est*, inqviunt, *post cogitationes enim nostras ibimus, & unusqvisqve cogitationem cordis sui mali faciemus* Jer. II, 25. & XVIII, 12. Alterum est internum & occultum nobis, cùm non ore manifesto, sed corde & voluntate adversamur verbo divino: Ita contradicere erit oris: non obedire erit cordis. Devovent ergò Israëlitæ omnem, tàm qvæ ore, qvàm qvæ corde committi potest, inobedientiam.

Moriatur) Hæc pœna sancitur contemtoribus Magistratus Devt. XVII, 12. *Qvicunqve ex superbia noluerit audire sacerdotem stantem ibi ad ministrandum Domino, DEO tuo, aut judicem, moriatur vir ille, & auferas malum de Israël.*

QVÆSTIO I.

An duæ tribus & dimidia obedierint Mosi in omnibus?

DE omnium tribuum inobedientia & rebellione communi passim gravissimæ extant qverelæ apud Mosen, â qvibus sanè immunes fuisse Gadditas, Rubenitas cum dimidia tribu Manasse, haud credere possumus, præsertim cum Num. XVI, 1. qvidam ex Rubenitis inter seditionis autores numerentur? Resp. Distingvendæ sunt tribus ipsæ à certis personis.

Nam

Nam qvi in hôc textu ſuam, qvam Moſi olim in omnibus præſtiterunt, obedientiam commemorant, ii non pro fratribus omnibus & majoribus, ſed pro ſe loqvuntur.

QVÆSTIO II.

An propter inobedientiam, qvâ magiſtratus offenditur, qvispiam interfici jure poſſit?

Reſp. Noſter textus id expreſſo decreto ſancit, cum qvo conſentit lex Devt. XVII, 12. Sed opponi poteſt argumentum tale:

Pœna major delicto eſt injuſta.

At ſi qvis ob inobedientiam, qvâ magiſtratum offendit, interficitur, eſt pœna major delicto.

Ergo eſt injuſta.

Probo *Minorem*: qvia materia vel res, in qva inobedientia committitur, plerisqve eſt infra vitæ præſtantiam & dignitatem. Reſp. ad *Minorem* ejusqve probationem per diſtinctionem rei demandatæ & perſonæ demandantis. Inobedientia in Magiſtratum commiſſa meretur ſupplicium mortis, non ob rem commiſſam, ſed ob magiſtratus contemtum: cujus autoritas ob tranqvillitatem publicam cujusqve privatæ vitæ ſemper eſt præponenda. Atqve hoc vult Paulus Rom. XIII, 1. *Non eſt poteſtas niſi â DEo: qvæ autem ſunt poteſtates, â DEo ordinatæ ſunt. Itaqve qvi reſiſtit poteſtati, DEi ordinationi reſiſtit. Qvia reſiſtentes ſibi ipſi damnationem acqvirunt.*

LOCUS COMMUNIS.

Locus primarius eſt de officiis ſubditorum, qvorum 1. eſt obedientia, qvam Æſchilus dicit facilitatis matrem.

I. Primò decet ſubditos ad magiſtratus arbitrium ac nutum totos ſe accommodare in omnibus, nec in uno qvidem apice ab ejus deflectere præſcripto juxta dictum Petri 1. epiſt. II, 18. Hoc eſt *regis os obſervare* Eccl. VIII, 2. Exemplo nobis ſunt hic Iſraëlitæ, qvorum univerſalis obedientia commendatur egregiè non tantùm in hoc textu, ſed etiam Devt. XXXIV, 9. & Jud. II, 7. Deinde ea debet eſſe illius obedientiæ ratio, ne transiliat divinæ legis ac voluntatis ſepta: Eſt enim obediendum magiſtratibus tantummodò, qvatenus habent Deum ſecum v. 17. qvatenus ſubditis præcipiunt ea, qvæ legibus divinis & rectæ rationi conſonis non ſunt prohibita: interveniente enim ejusmodi caſu, oportet nos DEo magis obedire, qvàm hominibus: qvod facit Petrus Actor. V, 29. Obſtetrices Ægyptiæ Exod. I, 21. Daniel, Dan. VI, 11. Abdias, 3. Reg. XVIII, 3. Tobias, Tob. II, 9.

Alterum officium ſubditorum eſt, vindicare autoritatem magiſtratus ſui, ab hoſtium & ſceleratorum petulantia; ab iisdemqve ſevera capitis ſupplicia ſumere, ſicuti noſtri Iſraëlitæ mortem comminantur omnibus, qvi Joſuæ vel verbis vel factis adverſati fuerint.

Tertium officium eſt orare pro magiſtratuum ſalute atqve felici gubernationis ſucceſſu, ut in tractandis

dis imperii habenis confortentur ac viriliter agant. Nam piis precibus longè melius stabiliuntur regna, qvàm vi & armis. Ideoqve jubet Paulus 1. Tim. II, 1. *primò omnium à nobis fieri obsecrationes, orationes, postulationes, intercessiones, gratiarum actiones pro omnibus hominibus, pro regibus & omnibus, qvi in sublimitate constituti sunt.* Ita proseqvuntur Israëlitæ votis gratulatoriis recens creatos reges; Saulem 1. Reg. X, 24. & Salomonem 3. Reg. I, 39. his acclamant: *Vivat rex.* Contra nullus impunè feret, si qvis regi maledicat, vel autoritatem ejus conculcet. Exod. XX, 28. Actor. XXIII, 5.

PRAXIS THEOLOGICA, VEL EXEMPLUM CONCIONIS AD Imitationem tertiæ partis cap. I. Josuæ dispositæ.

Exordium est liberum: Peti potest vel ex commendatione magistratus vel historia.

Propositio sit διδασκαλικὴ & partim πολιτικὴ ad subditos instituta, ut magistratui suo promtis sese animis subjiciant:

1. *In cunctis obediendo.*
2. *Seditiosos puniendo.*
3. *Pro superioribus intercedendo.*

Argumenta *Confirmationis* ex textu peti possunt hæc;

I. ab

I. ab Honesto. Qvia Magistratus ordinarii habent Dominum Deum suum secum.

1. Tanqvam autorem & conservatorem politici ordinis Dan. IV, 14. Es. XLV. ideoqve debemus in magistratibus præsentiam & assistentiam divini numinis agnoscere, eos qve propterea tanqvam *idola DEi*, (ut cum Plutarcho loqvar) debito honorum & reverentiæ cultu proseqvi.

2. Habent Deum secum, ut ducem & gubernatorem omnium consiliorum & actionum, sicut scriptum est Ps. LXXXI, 1. *In medio DEorum judicat* & Ps. CXLIII, 10. *Det salutem regibus* Prov. VIII, 1. *Meum est consilium & potentia.*

3. Ut inspectorem vel Ephorum administratæ Reipub. Nam judici Dominus in verbo sive negocio judicii, ex Hebræo.

4. Habent Deum secum ut vindicem & ultorem omnis contemtus. Sir. IV, 33.

II. Argumentum sumitur *â metu pœnæ*, sive mortis tàm temporalis qvàm æternæ, versu ultimo.

III. Sumitur *ab Utili.* Nam DEus ideò nobis præficit magistratus humanos, ut fortiter & viriliter agant in conservando veri Dei cultu: in defendenda vera Christi Ecclesia, in abolendis sectis & erroribus perniciosis: in supprimendis hostium furoribus; ut qvietam & tranqvillam vitam agamus in omni pietate & honestate.

CA-

CAPUT SECUNDUM.

ARGUMENTUM.

CAput secundum continet ablegationem exploratorum in terram Canaan, qvi cum in urbem Jericho deveniunt, â meretrice qvadam non excipiuntur tantùm hospitiô, sed etiam contra Regis inqvisitionem periculosissimam proteguntur, domumqve hospites per viam tutam remittuntur. Qvâ fide impetrat meretrix, ut in expeditione urbis postea cùm suæ, tùm totius familiæ incolumitatis privilegia, interveniente pacto, reportet. Partes capitis tres sunt I. continet ἔξοδον sive egressum exploratorum â v. 1. usqve ad 2. II. Habet διαμονὴν sive mansionem, & qvid ipsis Hierichunti evenerit â v. 2. usq; ad 22. III. Habet ἐπάνοδον vel reditum ad Josuam â v. 22. usq; ad finem.

DE PRIMA PARTE.

v. 1. *Misit igitur*) Exodus exploratorum absolvitur v. 1. & describitur κατασκοπικῶς. Si qværis, *qvis* eos miserit? Josua. *Qvot?* duos viros. *Unde?* De Sethim. *Qvomodo?* Occultè. *Cur?* terræ considerandæ causa. *Qvorsum?* in urbem Hiericho, ubi meretrix novis hospitibus qvietem non denegat.